This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lh 8. 755.



BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)
3 Aug. 1882.



Q. HORATII FLACCI

S A T I R A E.

Quintus

Q. HORATII FLACCI

SATIRAE

RECENSUIT

Pieter

P. HOFMAN PEERLKAMP.

AMSTELODAMI

APUD FREDERICUM MULLER.

MDCCCLXIII.

2 no. 400

1882, [illegible] 3.
[illegible] fund.

AMSTELODAMI EX TYPOGRAPHEO C. A. SPIN ET FILII.

MEMORIAE

ABRAHAMI. DE VRIES

CARI. FIDELIS. AMICI

PLUS. QUAM. DIMIDIATUM. SAECULUM

PROBATI

HUNC. LIBRUM

P. HOFMAN PEERLKAMP

D. D.

P. HOFMAN PEERLKAMP

L. S.

Ut ad multos scriptorum, praesertim Romanorum libros, ita ad Horatii Satiras et Epistolas multa annotaveram. Quae ad Satiras, ea nunc, magis amicorum rogatu quam mea ipsius voluntate, ad editionem composita paravi. Ignorabam enim quid eruditi Germani inter annos in hac re praestitissent, nec quidquam videram praeter Meinekium. Absoluto demum hoc labore meo, nactus Heindorfium et Wustemannum, Horkelium, Apitzium, denique L. Doderlinum, haud sane pauca ab iis iam occupata deprehendi, eaque cuncta, quantum scio, ex meis sustuli.

Ludovicus Doderlinus a. MDCCCLX Satiras tam docte et ingeniose interpretatus est, ut praeclara illius de Horatio merita satis laudare non possim. In quibus eadem fere animadverteram, ea, mihi de consensu gratulatus, servavi. Si ille fortasse hinc suis inventis aliquod momentum accessisse iudicet, equidem ab illo meis grave accessisse iudico.

De mea Horatii explicandi ratione satis exposui, cum in praefatione ad Carmina, tum in Mnemosyne Leidensi. Huius me rationis nondum poenitet. Sic enim et semper sensi et nunc quoque sentio: omnia omnino veterum librorum MSS. per indoctos, et, quod longe peius, per semidoctos librarios modis infinitis turpissime corrupta sunt. Viri eruditionis accuratae laude excellentes inde ab instaurata literarum humanitate ad hanc memoriam, testor vel amicissimos collegas Bakium, Cobetum et nuper mortuum Iacobum Geelium, qui cum magno ingenio et doctrina parem modestiam et prudentiam coniungebat, omnes omnium temporum et nationum hoc luculente demonstraverunt.

Horatius, ut hoc exemplo utar, nam caussa Aeneidis multum diversa est, operis quippe ab ipso auctore improbati et supra alia omnia interpolati, Horatius igitur obscura ista, inepta, ridicula, absurda, quibus falsae manus vera poëmata corruperunt, scribere non potuit. Qui adeo vel mutata per coniecturam lectione, vel notatis spuriis, vel nova interpretatione lucem tenebris affundere conatur, hic non iniquius facere censendus est, quam qui omnia concoquere et millies ab aliis dicta et iterata repetere satis habet, ipse de suo, quo res fortasse restituatur, nihil affert.

Ego, ubi nulla bona spes expediendae difficultatis affulgebat, in hoc quoque libro pronior fui ad audendum, quam tergiversandum, nec quidquam simulavi aut dissimulavi. In rebus asperis consilia fortia, audacia etiam, interdum sunt salutaria. Alii saepe eo ad cogitandum excitati lenius aliquid et tutius inveniunt.

Utrum istam interpretandi viam secutus literis nostris obfuerim an profuerim, posteritas melius iudicabit. Prodesse certe volui, ac debui, natus in regione, ubi ingenuae artes iam tria saecula dilectae et cultae stabilem sedem invenerunt. Anno enim MDLXXV, in medio belli Hispanici ardore, Musa gradu pinnato huc se intulit, ut Punico se bello secundo, quod ait Porcius Licinius, intulerat bellicosam in Romuli gentem feram. Condita anno isto Academia Leidensi, aliisque deinceps Academiis, Athenaeis, Gymnasiis et scholis, scripta Graecorum Romanorumque omnia cupiditate fere inexplebili devorabantur, adeo ut fortasse tota Europa in nullo populo, tam exiguis finibus incluso, quidquam simile inveniretur. Ut omittam publicos ingenti numero doctores, incredibilis semper aliorum multitudo exstitit, qui poëtas, historicos, philosophos, oratores tam diligenter lectitabant et probe intelligebant, ut nihil magnopere aliud in omni vita egisse viderentur. Horum alii libros edidere, testimonia cum studii doctrinae, tum doctrinae ipsius verissima; alii non edidere, sive laudem parum curantes, sive modestia prohibiti: sed omnes mira delectatione mentis ita alendae acuendaeque ducebantur. His otiis negotia suae quisque vitae recreabat, et vulgo ad illa utilius et elegantius gerenda alacrior redibat. Quam multi inde quantam voluptatem rerumque ornamentum perceperunt! Et, ut scires, veterum admiratio quam

alte in animos descenderet, ea plerisque cum aetate pariter crevit, neque in summa senectute vel minimum pristini cultus remisit, sed quasi tum primum exorta, integra et nova viguit.

Atque huius illi virtutis, praeterquam quod ipsa sibi esset merces, hoc fere praemio publice decorabantur, ut scholis vel Academiis Curatores praeficerentur. Quare pauci amantius ac verius de iis iudicare poterant, quam qui iuventutem ad linguarum doctrinarumque scientiam informabant.

Ego iam ante annos fere sexaginta tales tres cognovi viros, quos mihi contigisse et mansisse amicos semper in magna felicitatis parte posui, nec, quoad vivam, ponere desinam. Hi, ut erant me natu maiores, sic ante me hinc abierunt.

Primus abiit Arius Adriani, librorum sacrorum interpres, sectae Reformatae, apud Doccumenses in Frisia. Theologiam literarum nostrarum suavitate et elegantia condiebat, inque iis tantum profecerat, ut non multos sui ordinis haberet pares, studio certe et industria superiorem neminem. Historiam rerum, praecipue Neerlandarum, callebat, quasi perpetua vita in iis habitasset. Huius ego viri in severitate comis, gravitate facilis, pectore candido et aperto, nunquam sine gratissimo animi sensu recordor, vivo voluntatem in Oratione de Xenophonte Ephesio a. MDCCCVI edita significavi. Merita ille fama carebat.

Ea non caruit Henricus Collotus Descurius, magis in luce et oculis hominum positus et gestis honoribus spectatus. Hunc quanti fecerim, declarare non sum veritus, cum ei Carmina Horatii a. MDCCCXXXIII primum recensita, dedicabam. Nimio plus se laudatum querebatur, et neminem melius, quam ipse sentiret, intelligere dicebat, tale se praeconium non meruisse. Meum me in ea caussa iudicium iudicio ipsius praetulisse non poenituit. Animum enim gerebat omnibus ornamentis, quibus regum nostrorum et populi et Academiae Leidensis favor honoraverant, pulchriorem.

Et Arius Adriani et Descurius prospera valetudine, integris mentis facultatibus ad magnam senectutem pervenerunt, nec de industria quidquam remiserunt. Ille annos habens unum et septuaginta librum edidit patria lingua ad illustrandos Veteris Novique Testamenti locos compositum: hunc in opere de laudi-

bus Hollandorum in omni arte et doctrina conspicuis absolvendo mors occupavit, postquam duos et septuaginta annos vixerat.

Tertius amicorum, binis istis omni virtutum genere par, Abrahamus Vriesius, utrumque vivendo vicit.

Natus Amstelodami a. d. XX Aprilis MDCCLXXIII, puer ingenii mire docilis, eruditus disciplinarum elementis, quibus illa aetas formabatur, mature in Gymnasium venit. Privato in lingua Graeca et Latina praeceptore utebatur Petro Nieuwlando, qui, educatus in domo Hieronymi Boschii, semina naturae, ad miraculum fere fautricis, incredibili celeritate ad maturitatem perduxit. Hunc, ut postea Eliam Annei f. Borgerum, Neerlandiae et Academiae nostrae tantum ostendere Deo placuit, documenta, veras laudes nec genus exspectare nec annos, tutamque virtuti et praesenti et ex oculis sublatae constare mercedem. Principem in Gymnasio locum tenebat Richeus Ommerenus, multae ille et elegantis doctrinae, suaque instituendi arte celebratus. In illis temporibus Neerlandia erat omnis divisa in duas factiones, unam Orangiorum, alteram Patriotarum vulgo nominatam. Ommerenus veterum scripta, praesertim poëtarum, Horatii ante omnes, sic explicabat, ut, qui domo, popularibus inimica, non afferret amorem libertatis, ibi imbiberet, alii magis incenderentur. Ex Gymnasio transiit in Athenaeum, Wyttenbachii et caeterorum praeclara laude florentium virorum assiduus auditor et discipulus. Sua et parentum voluntate destinatus Theologiae, quam secta Teleiobaptistarum profitetur, legitimum studiorum iter fere emensus, rebus se civilibus immiscuit.

Idem fecere multi, quos in schola Ommerena condiscipulos habuit. Plerique cursum, semel petitum, retinuerunt, gestis deinceps honoribus illustres, post reditum quoque gentis Arausiacae, cum discordiae prorsus essent exstinctae. Qua in re egregie communi patriae consuluerunt. Vriesius brevi expertus, in illo primo animorum ardore locum prudentiae et moderationi vix esse relictum, suamque naturam minus aptam theatro, quod libidine levis populi et fluctibus concionum, tamquam mare ventis, perpetuo agitaretur, brevi ad sua studia rediit. Ipse nullum unquam apud me verbum de isto tempore fecit. Caussa tamen, cur taceret, nulla omnino suberat. Miror adeo et alios excellentes viros,

in quibus Iohannem illum Henricum Palmium, diutius negotiorum participes, postea similes exstitisse iis, qui vel dissimulare mallent, vel iniectam mentionem ioco transmitterent, cum gloriari possent, quantum sua quoque opera mali esset aversum, boni effectum.

Re publica a. MDCCXCVIII vi in novam formam conversa, Theologiam, sic intermissam, repetiit, iamque anno sequenti ius et facultatem sacri muneris petendi adeptus est. Quinque Ecclesiae eodem fere tempore eum invitabant. Venit Neomagum, mox Leidam.

Leidae amicitia Matthiae Siegenbeekii, iam inter pueros in subselliis Gymnasii contracta, iudicio aetatis constantioris corroborabatur. Neque in illa morum studiorumque similitudine aliter fieri poterat. Magnus in rebus sacris et civilibus consensus, multa sermonis et historiae Neerlandae scientia, amor veterum literarum, mentium lenitas et facilitas, necessitudinem ita confirmarunt, ut perpetua utriusque vita nunquam friguerit. Siegenbeekius quidem natura tam mitis et placidus erat, ut fere irasci non posse videretur, nec multum abesset, quin, qui indigne in dextram malam percussisset, eidem et sinistram praeberet. Talis septuaginta annos cogniti morte Vriesius sic doluit, ut ego nunc doleo illius.

Leida profectus, a. MDCCCIII venit Harlemum, eamque perpetuam rerum suarum sedem habuit.

Si quam vellet urbem ei legere datum fuisset, non aliam, puto, legisset. Vicina Amstelodamo et Leidae vicinos faciebat amicos et cognatos, in quibus Hieronymum Boschium, avunculum, fratrem Hieronymum, in scriptoribus antiquis haud sane mediocriter versatum, literarum Neerlandarum cognitione librisque editis clarum, quem *de simplicitate* tam eleganter scripsisse nemo, qui noverat, miratus est: Joannem Melchiorem Kemperum, sororis maritum, iuris peritissimum, illustre probitatis exemplum, unum ex generosis patriae tyrannide Napoleonis I liberandae auctoribus, et restituti nominis Neerlandi statorem.

Harlemum, ut eo revertar, et ipsum multa habebat, cur ei iucundissima statio esse debuerit. Carebat fumo et strepitu magnarum urbium. Placida regnabat quies: pluribus incolis reliquiae opum paternarum supererant haud contemnendae, com-

muni bono praesidium et decus, honestaeque paupertati solamen, cui iam avorum inusitata liberalitas hospitia exstruxerat tanti splendoris, ut Imperator Francorum Mareschalcos suos non tam bene habitare diceret. Adde nobilissimam Hollandam Societatem scientiarum, Museum ex legato Teyleri, hominis privati, regie erudito rerum utilissimarum luxu instructum, eiusdemque Collegium Theologicum, scholas in suo quamque genere praestantes, eumque vulgo artium et literarum amorem, qui semina non affectatae humanitatis per domos paullo honestiores spargeret. Tot bonis quum accederent silvae agrique circumiacentes, magnificae et elegantes villae, in quibus natura et ars, quid amoena varietate possent, certasse videbantur, rudera hic aetatem Comitum Hollandorum, illic vim Hispanam virtute victam testantia; et facile est iudicare, quam dulce domicilium Vriesio contigerit.

In eadem ego urbe septem fere annos vixi, vocatus a. MDCCCXVI eo potissimum auctore ut Gymnasio praeessem. Diu antea iam aliqua erat inter nos notitia, orta per Boschium, cui Anthologiam Graecam edenti, anno huius saeculi tertio epistolam Ruardii, Professoris Groningani, tradebam, in qua erat, ni fallor, Latinum carmen, libro, ut fieri solebat illis temporibus, praeponendum, et fortasse aliqua mei commendatio, Praeceptoratum Harlemensem petentis, quem et obtinui, et annum gessi. Tum primum vidi hominem natura et studio, supra quam cogitari potest, bonum et simplicem. In ipso vultu, voce, habitu adeo et cultu agnosceres. Erat mihi, quasi veterem Romanum adspicerem, quatenus civis Amstelodamensis istis antiquis moribus Romanum poterat referre. Cognitum deinde, si minus ipso usu, at scriptis Wyttenbachii, et praeclara illa Davidis Iacobi Lennepii laudatione, praesertim autem sermonibus Abrahami nepotis, libenter cum Tito Pomponio Attico comparabam, nisi quod hic poëticen modo attingebat, ne eius expers esset suavitatis, ut C. Nepos credebat, ille maximam vitae suavitatem inde sperabat et accipiebat; tamen, ut studiorum dissimilitudo amicitiam Wyttenbachii, alia magis amantis, non tantum non minuisse, sed etiam arctius contraxisse mihi quidem videatur. Wyttenbachius enim, quidquid nonnulli contra suspicati fuerint, Boschium diligebat. Hoc saepe ex vidua, Iana Galliena, erudita et elegantis ingenii

matrona, clarum et ipsa nomen editis Dialogis adepta, audivi; sed ante omnia mihi constitit ex ephemeridibus, quibus Wyttenbachius, praeter accepta et expensa, alia quoque, more Lucilii, velut fidis sodalibus credebat. In his brevissime, uno saepe verbo, Neerlando, Franco, Latino, annotabat, quod sibi quoque die cuiusque mensis et anni gratum vel ingratum, bene vel secus evenisse putasset.

Boschius me tum comiter excepit, ut adolescentes discendi avidos excipere solebat. Sermonem sic ad meum captum direxit, ut multis praeceptis ditior ab eo discesserim, lucratus praeterea, ut dixi, notitiam nepotis, a quo a. MDCCCXVI mirifice adiutus et ornatus fui, quocum Harlemi ut frater cum fratre vixi.

Ille in Ecclesia haud ita magna, duos habens collegas, virilem partem ut facile tueri poterat, ita tuebatur egregie. Sermones a frequenti et attenta concione audiebantur. Regnabat in his eloquentia sacro argumento apta, oratio simplex, perspicua, gravis, facilis, ut e pectore fluentem sentires. Nihil ei ad ostentationem aut excitandam hominum admirationem exibat ex ore. Quidquid dixisset, idem postea libenter legisses. Scripta Neerlandorum, quae quidem in aliquo numero essent, pervolutaverat fere omnia. Hinc patriae linguae singularem scientiam assecutus, eam sua ipsius observatione, optimorum grammaticorum libris formatam et politam, amplificare nunquam cessavit. Quare totam sermonis vim tandem quasi in potestate habuit; qui colore quodam Romano insuper tinctus, nescio quomodo suavius ad aures accidebat et in animos penetrabat. In explicando divinorum codicum sensu hanc potissimum rationem sequebatur, ut controversias nunquam attingeret, sed cuncta ad vitae disciplinam, auctoritate Iesu Christi propositam, exemplo consecratam, morte sancitam, referret.

Erat Harlemi Bibliotheca publica, multique in ea libri, remotae plerique aetatis, MSS. quoque, eruditis Neerlandis haud ignoti. Rudis et indigesta moles, iniquitate temporum neglecta, aliam ex alia sede mutaverat. Magistratus tandem constituit certam, diem et horam usui communi dedit, annua subsidia decrevit, Vriesium praefecit. In ea Bibliotheca iucundissime morabatur, et lente festinando nec rumores ante salutem ponen-

do, Catalogum absolvit, in quo nihil ad praestantiam artis hodiernae desideratur.

Neque minus Gymnasio curando gaudebat, cum florere videret voluntate et industria magistrorum, et bonorum discipulorum frequentia. Huius rei laus partim tribuenda erat liberali et prudenti consiliorum rationi, quam ille et collegae sequebantur. Contenti erant, si omnia recte irent, sibique persuaserant eos, qui longo usu docere didicerant, acutius in munere rite administrando cernere, quam qui cogitando tantum et legendo cognoverant. Et vero boni praeceptores ipsi sensim mutant, quod suo quisque loco tempori et alumnis minus aptum et consentaneum arbitratur. Non amant philosophos, qui copiose de optima instituendi via disputant, ipsam viam non triverunt, similes Phormioni Peripatetico, qui, quamvis nunquam castra adspexisset, nec lituum audivisset, Hannibali praecepta de re militari dare sustinuit. Atque in ea opinione non dissentiebamus. In altera aliquantum. Gymnasio adiunctum erat Institutum, in quo, praeter Mathesin, Historiam, Geographiam, alia, linguae Francorum, Britannorum et Germanorum docebantur. Nemo autem ad Gymnasium admittebatur, nisi et lectiones in Instituto audiret. Ego, quod vinculo arctiore cum literis antiquis esset coniunctum, inde ad Gymnasium transferri, et liberum parentibus arbitrium relinqui volebam, filiosne ad alteram an utramque scholam mittere satius putarent: quot adolescentes, tot vulgo esse diversas naturas, diversa ingenia, neque omnes eidem vitae curriculo destinari, eamque varietatem non sine periculo et detrimento in unam normam cogi, curandas autem non modo veloces et alacres, verum etiam tardas et ignavas mentes, tot tantarum rerum praeterea non capaces. Curatoribus aliter visum. Atque eadem fere ratio in plerisque deinceps Gymnasiis fuit instituta, an et duratura, tempus docebit.

Quantum ei a negotiis sic obeundis supererat, nec consuetudini domesticae aut amicorum conventiculis cedere oportebat, tantum versando optimos quosvis scriptores, Graecos praesertim et Romanos, dabat. Multos, Homerum, Sophoclem, Euripidem, Lucretium, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Tacitum, una legimus. Habebat bibliothecam amplissime instructam, libros omnis aevi et

nationis in vario genere praestantiores, elegantiae intus et extra exquisitae, eo etiam, ut putabat, exquisitioris, si margines integri cultrum levigantem evasissent. Quod deesset, supplebat Bibliotheca publica, annuis additamentis semper aucta.

Quae ex quot libris arriperet, cogitando subacta teneret, quam subtiliter et vere de plerisque iudicaret, pauci sciebant. Illa enim multiplicis scientiae copia, illud ingenii acumen in tacita prudentiae modestiaeque luce refulgebant, quam si adumbrare conarer, multis iisdem coloribus uti deberem, quibus Ernestus Ruhnkenio Io. Matthiae Gesneri mores depinxit. Doctior pariter et amabilior triumviratus nunquam in ulla laudatione ita copulatus apparuit. His Vriesius nominibus inseri quasi socius mereri potuisset, si ab ineunte adolescentia omnem ingenii et industriae contentionem unice in hac veterum literarum humanitate fixisset. Sed, quod ipse solebat dicere, nihil in ea mentis exercitatione quaerebat, nisi ut se rerum utilissimarum cognitione pasceret, solitos labores vice suavissima mutaret, ad meditandum fieret melior, officii quoque et honestatis praecepta hauriret saluberrima.

Cupiditate quidem inclarescendi tantum abfuit ut unquam afficeretur, ut nimia potius verecundia et pudore quasi laboraret, velut qui prorsus latere vellet. Non poterat. Quam gloriam fugiebat, ea, ut est umbra virtutis, invitum sequebatur. Quominus cathedra Leidensis ei offerretur, per ipsum stetit. Nemo eum de re ista loquentem unquam audivit: et quum brevi post Senatus Academicus honoris caussa Philos. Theor. Mag. et Lit. Hum. Doctorem creasset, titulum nomini modo praeponebat, ubi mos et fas iuberent. Decoratus insigni Leonis Neerlandi, primum eques, deinde decurio, laudabat benevolentiam eorum, qui regi, ut decoraretur, fuerant auctores, ipsum honorem et ornamenta fere aestimabat, ut Wyttenbachius facere solebat. Nunquam vidi hilarius ridentem, quam cum narrabam quid priscus ille Bernas de pompa Stassardana, festive a Mahnio descripta, in ephemeride anni MDCCCXIII annotasset: *Panegyris in Senatu Academico. Oratio Praefecti. Responsum. Ille cum comitatu in petorritis Hagam. Ego pedes ad suburbanum meum. Emta inter eundum ulna taeniae equestris.* Addiderat nomen tabernae et tabernam habentis matronae. Quae, quia ephemeridas istas combussi, non retinui.

Societatibus quoque eruditis erat allectus, ut Leidensi, Harlemensi, Instituto olim Regio, Theologico Teyleri collegio, aliis. Leidensem, excolendo sermoni Neerlando, magni faciebat. Conventibus omnium sodalium annuis ter et quinquagies interfuisse non multum aberat quin gloriaretur: laetatus certe est, cum unanimi consensu socius honorarius diceretur. Nec vero minoris faciebat Harlemensem. Sed ut accederet, diu a se impetrare non potuit, quia Ludovicus Napoleo nominatus erat patronus. Non oderat optimum Napoleonidarum, qui obtrusam sibi a fratre novam patriam brevi amare didicisset; sed natus in republica, magna illa virorum et virtutum omnium parente, regno non statim assuescebat. Neque adhuc usu eramus edocti, imperium unius et libertatem natura non esse dissociabilia, eamque non laetius florere quam in civitate, ubi bonae leges potestatem principis et magistratuum temperant, et suis quamque limitibus coercent. Caeterum Institutis, quae quidem ad studia veterum literarum augenda et alenda pertinerent, minus tribuebat quam scholis bene ordinatis et disciplinae, more maiorum, sanitate et severitate insigni. In qua sententia et Wyttenbachium fuisse Mahnius in Vita illius testatur.

Amicitia nostra, ex quo Leidam migravi, integra stetit. Si capere potuisset incrementum, eo discessu cepisse dicerem. Hoc ille, in epistolis praesertim, significabat, tamquam non plura et maiora, quam ipse mihi, ego illi accepta referre deberem. Sic erat. Parcus in reprehendendo, benignus in laudando, cui optime vellet, hunc tota mente atque omni caritate complectebatur, et, quod sentiret, in magna verborum lectissimorum copia effundebat. Ego, Groninganus, et natura paullo aliter factus, parem affabilitatem reddere non potui. Neque postulabat, cum probe nosset, quis animus sub isto frigore lateret.

Quanti eum aestimarem, ter palam declaravi. Hanc quoque Satirarum Horatianarum recensionem, laborem fortasse extremum, illi dedicare, praesens praesenti tradere, apud me constitueram. Cogitatio fore ut, priusquam ex hac vita migraret, semel etiam de rebus pristinis nostro more confabularemur, tam alte menti erat infixa, ut neutrum antea mori posse putarem.

A. d. XXVIII mense Maio suam mihi effigiem photograptam mi-

sit, addita longa epistola, literis, quamquam ipse eas vix videre potuerit, lectu facillimis et nullum dextrae tremorem prodentibus perscripta. Effigies habitum et lineamenta oris totiusque corporis similitudinem plane referebat, ut epistola animi amabilis et Christiani imaginem. *Nuper*, inter alia dicebat, *annum aetatis nonagesimum ingressus sum. Si cuiquam mortalium beata senectus contigit, mihi contigit. Mente tranquilla et serena in corpore satis sano, omnibus rebus meis contentus, domesticis praesertim felix, nihil amplius optare potui, nisi amantissima mei uxor iam biennium valetudine minus prospera uteretur. Liberi et nepotes fortunatam patris et avi sortem cumulant. Tot tantorum mihi beneficiorum conscius, nunc tamen, lumine oculorum ita captus, ut tamquam in nebula nec, nisi brachio ducis sustentatus, ambulem, et auribus paene surdis, quid filiae mihi legant, parum percipiens, facile intelligis, quam non invitus, satur conviva, animo adversus datorem gratissimo, discederem. Sed hunc, ut semper fecit, nunc quoque, quod mihi optimum sit, facturum confido. Interea meam tibi effigiem misi. Mos iste, ut nosti, nisi furor sit dicendus, hodie viget, ut suam quisque figuram vi lucis expressam in tabella ostendat. Ego meis, ut ostendi paterer, flagitantibus resistere non potui. Specta quantum mei hac aetate superet, et cerne an vetustissimum amicorum agnoscas. Utut sit, quidquid externa specie mutatus sim, animus in te meus mansit idem, idemque ad extremum spiritum manebit.*

Haec et quae plura scripserat me adeo affecerunt, ut nihil respondere valuerim, nisi id ipsum. Diem modo prospiciebam, quo destinatum ei munusculum ipse Harlemum afferrem. Non licuit. Ante mensem a. d. III. Novembris obiit. Quis me dolor tum percusserit, ipse nescio. Nihil me consolatur, nisi quod Deus voti compotem fecit, quod satis vixit, si nondum suis, at sibi, quod anni unius vel alterius accessio non feliciorem reddidisset. Visu et auditu debilitatus alia fortasse incommoda, quae tanta aetas afferre solet, evasit.

Atque haec de Abrahamo meo Vriesio, tertio illo amicorum, diutius cognito. Hic quoque in extrema senectute iisdem studiis ardebat, quibus adolescens et vir flagraverat. Testimonia industriae pauca prodidit, in his libellum de lingua vernacula,

iam a. MDCCCV. compositum, nunc etiam cognitu perdignum. Unum praesertim omnium laudatissimorum instar reliquit monumentum. Gloriam inventae typographiae Harlemo vindicavit. Cum Meermannus et alii deinde populares nostri argumenta exhausisse viderentur omnia, et tamen, quod unice in tota quaestione verum erat, historicum neglexissent, hoc ille admirabili diligentia et iudicio sic explanavit, ut Franci, Britanni et Itali hunc patronum caussam Neerlandiae vicisse iudicent, de Germanorum sententia nondum constet. Tali monumento Vriesius suae quoque ipsius apud omnem posteritatem memoriae semel consuluit. Stirpem insuper ex se natam reliquit, Gerardum, Status Senatorem, et Matthiam, literas Neerlandas in Academia Leidensi profitentem, dignos laudum paternarum heredes et custodes filios.

Iam relegens, quae sic effudi, ex dulci quasi somnio expergiscor. Blandissimam profecto vim esse oportuit, qua me amicorum recordatio ultra morem et modum componendae praefationis imprudentem adeo provexerit. Quod, restituta semel valetudine, nulla me corporis infirmitas admonuit, admonet loquacitas. Senex sum. Adolescentes et viri, qui haec inspiciant, fortasse taciti reprehendent, a pietatis tamen professione, ut spero, excusabunt. Serior quidem aetas in quam partem acceptura sit, non vereor.

Hilversumi, v Decembri mense a. MDCCCLXII.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER PRIMUS.

SATIRA I.

Quî fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?

SATIRA I.

Illa contentus vivat. In multis MSS. et antiquis editionibus legitur *ulla*. Exiguum scripturae discrimen, et vocabula centies permutantur. Quaeritur modo, utrum sententiae melius conveniat. Hic, puto, convenit *illa*. Nemo, quam sibi sortem seu ratio dederit, seu Fors obiecerit, *illa* contentus vivit. In his *illa* necessario requiritur, et more castigatae Latinitatis commendatur: *ulla* non tantum non requiritur, sed etiam ita supervacua apparet, ut abesse malles. *Sors* est vitae genus, quod quisque sequitur. Hoc vel eligit, vel ei obiicitur. Ratio seu Fors dant unam sortem, suam cuique, propriam. Hanc, ea non contentus, cum sorte alterius permutare cupit. Optat alteram sortem, non quamcumque, sed certam, ut mercator militis, miles mercatoris, rusticus urbani, urbanus rustici.

Constructio pronominis demonstrativi substantivo antecedenti additi, a multis illustrata est, optime iam a Manutio ad Ciceronis Epist. XIII. 28. recte monente, illud non abundare. Fuere, qui abundare et abesse posse dicerent, in his, quod miror, Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 79. et ad Terent. Eunuch. V. IV. 6. Raro, ni fallor, abesse potest, sine detrimento perspicuitatis: plerumque vim addit orationi, nec dubitari potest, quin scriptores, apposito pronomine, elegantius se esse locutos putaverint. In Horatiano quidem exemplo *illa* omnino postulabatur propter *contentus*. Sed pone aliud, v. c. *Nemo quam sibi sortem ratio dedit, laudat:* vel sic aegre careremus *eam*. Pro *quam sortem*, dicitur et *sortem quam*. Nemo sortem, quam ratio dedit, eam laudat. Ut Liv. I. 59. *Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit*. Rectum quoque esset, *quem cultrum*. Hinc explicem illud *Urbem quam statuo vestra est*. Non differt: *quam urbem statuo, vestra est*. Ibi omittitur *ea*. Par fere ratio in Graecis, de qua interpretes ad Epist. Paulli ad Corinth. I. X. 16. Atque ita iam Clarkium accepisse video ad Caesar. B. Civ. I. 41. *Pons qui fuerat tempestate interruptus, neque erat refectus, hunc noctu perfici iussit.*

Laudet diversa sequentes. Sequentis,

„O fortunati mercatores!“ gravis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.

ut alii scribunt, accipi poterat casu genitivo: Nemo vivit contentus sua sorte: quivis laudat sortem illius, qui diversa studia, aliud vitae genus sequitur. Recte vs. 109. *Nemone ut avarus se probet, ac potius laudet diversa sequentes:* conveniunt *probet se, laudet sequentes.*

Gravis annis. Milites, *graves annis*, vulgo non amplius sub signis habentur, minus etiam, si membra multo labore fracta habent. Optant missionem, et plerumque accipiunt. In Tacit. Annal. I. 17 indignantur, *quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent.* Plutarch. Caesar. 40. ἐξέκαμνον ὑπὸ γήρως καὶ βαρεῖς ἦσαν τοῖς σώμασι πρὸς τοὺς πόνους. Tales sane non apti sunt ferendo operi, ne leviori quidem, quam militiae, ut ille apud Vell. Paterc. II. 76. *gravis iam aetate et corpore, cum comes esse non posset.* Quid autem *iam fractus membra?* Exspectasses *iam* potius in adolescente et viro, qui ante tempus est fractus, non in homine *gravi annis.* Praeterea Horatius exempla ponit aetatis, quae non impedit, quominus, priore vitae genere relicto, aliud incipiant. Gravis annis, senex, non potest. Optat quietem, non mercaturam, cum tot periculis coniunctam. Denique miles, rusticus, nauta laborem ferunt hac mente, *ut senes in otia tuta recedant.* Atqui noster, *gravis annis* iam est *senex.* Fortasse hac, fortasse et aliae caussae movere Bouhierium, ut emendaret, *gravis armis*, quod ab Horatio scriptum esse arbitror. Miles, gravis armis, quum in itinere, acie, proelio versatur. Livius IX. 19. *Equitem, sagittas, saltus impeditos, avia commeatibus loca, gravis armis miles timere potest.* Sed miles laborem non sentit, quamdiu, sua sorte contentus, otium securum prospicit. Vix autem aliud vitae genus beatius putat, quum suum mutare cupit, cuius incommoda in ipsa actione experitur. Sic mercator fieri optat miles, quum prensus in Aegeo tempestate iactatur, miles fieri optat mercator, quum arma fert, cum pugnandum est, et, iam fractus labore, dura belli non toleranda dicit, vitamque mercatoris longe faciliorem putat.

Bentleius *gravis annis* non habuit suspectum; imo utitur, ad confirmandam coniecturam in Terent. Heaut. IV. I. 32. *Quanto tu me es annis gravior, tanto es ignoscentior.* Ubi legitur vulgo: *Quanto tuus est animus natu gravior, ignoscentior.* Ego in Mnemos. Leid. nuper conieci: *Quanto tuus est animus gravior, tam tu es ignoscentior.* Fortasse tamen aliud latet; nam, quod rogat Bentleius „*animus natu gravior*, quis unquam mortalium sic loqui vellet?“ responderi poterat ex Plauti Bacch. III. III. 55. *Obsequens obediensque est mori atque imperiis patris. Hic sodalis Pistoclero iam puer puero fuit. Triduum non interest aetatis uter maior siet: Verum ingenium plus triginta annis maius est quam alteri.* Magis usitata sunt *mente senex, iuvenis*, φρένας νεάζει, et alia huiusmodi: antiquiores, praesertim Comici, saepe non aliter loquebantur. Sic Plautus iterum, in Mercat. I. I. 40. *Principio atque animus ephebis aetate exiit, Atque animus studio amotus puerili est meus.* Ubi legendum: *Principio ut ex ephebis aetas exiit, Atque animus studio amotus puerili et metu.* Aetas ex ephebis exiit, pro, ego exii: Bacch. I. II. 40. *Iam excessit mihi aetas ex magisterio tuo.* Quod legendum putavi *metu*, confirmari potest Terent. Andr. I. I. 24. *Nam is postquam excessit ex ephebis, Sosia, Liberius vivendi fuit potestas: nam antea Qui scire posses, aut ingenium*

Contra mercator, navim iactantibus Austris,
„Militia est potior. Quid enim? Concurritur: horae
Momento cita mors venit aut victoria laeta.“
Agricolam laudat iuris legumque peritus',
Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
Delasssare valent Fabium. Ne te morer, audi,
Quo rem deducam. Si quis Deus „En ego“ dicat,
„Iam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,

noscere, Dum aetas, metus, magister prohibebant?

Acro hic ad Horatium annotavit: „*gravis annis*: figurata elocutio; per annos.“ Non video quid figurati sit in *gravis annis*. Legitne in Horatio *gravis annos*? Hoc esset figuratum, et interpretari potuit: „*gravis annos*, figurata elocutio, pro *annis*.“ Ita mox: „*Fractus*: figurate fractus membra, sicut *pictus acu chlamydem*; id est, fracta membra habens.“

Momento cita mors venit. Bentl. ex MSS. dedit *aut cita mors*, ut elegantius et magis Horatianum. Exempla Horatiana nihil probant, quia in *aut Nireus, aut Parrhasius, aut insanit* metrum sine particula non constaret. Et si legimus *momento cita*, particula *aut* cogitando repetitur ex sq. *aut victoria laeta*. Bentl. librarios omisisse putat, quia demto *aut* suum versui metrum constabat. Dictu difficile est, utrum in tali caussa sit librariorum, an scriptorum. Davisius ad Ciceron. Tusc. IV. 12. annotavit, fieri aliquando posse, ut, quod librarius omiserit, ab ipso scriptore, brevitatis studio, praetermissum putetur. Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 110. Davisium vere iudicasse arbitratur. Equidem et hic aliquid sono dandum iudico. *Momento aut cita mors*, plenius ac suavius sonat. Quod Bentl. ominosum plane et infaustum dicit, nisi particula disiunctiva inferatur, Horatius vitare potuisset, *victoria* praemissa: *Momento venit aut victoria laeta, cita aut mors*. Sed si esset ominosum, neque particula tolleret, nec poëta tam infirmus erat.

Si quis Deus. Cicero de Senect. 23. *Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem.* Horat. II. VII. 24: *laudas Fortunam et mores antiquae plebis, et idem, Si quis ad ista Deus subito te agat, usque recuses.* Seneca Epist. 96. *Ipse te interroga; si quis potestatem tibi Deus faciat, utrum velis vivere in macello an in castris.* Auctor Dial. de Orator. 41. *Si aut vos prioribus saeculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac Deus aliquis vitas vestras, vestra tempora mutasset, nec vobis summa illa laus et gloria in eloquentia, neque illis modus et temperamentum defuisset.* Maximus Tyrius Dissert. V. p. 56. καὶ εἴ τις θεῶν, ὥσπερ ἐν δράματι ὑποκριτὴς, ἀποδύσας ἕκαστον τοῦ παρόντος βίου καὶ σχήματος, μεταμφιέσει τὰ τοῦ πλησίου, αὖθις αὖ οἱ αὐτοὶ ἐκεῖνοι ποθήσουσι μὲν τὰ πρότερα, ὀδυροῦνται δὲ τὰ παρόντα. In his exemplis tantum memoratur, quid homines senserint, si quis Deus illis hoc vel illud concessisset. De Deo nihil praeterea adiicitur. Videbimus, quid Horatius adiecisse videatur.

Mercator: tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!
Quid statis?“ nolint. Atqui licet esse beatis.
Quid caussae est, merito quin illis Iupiter ambas
Iratus buccas inflet; neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
Praeterea, (ne sic, ut qui iocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.)

Quin illis Iupiter ambas Iratus buccas inflet. Si Horatius antea scripsisset: *Si illis Deus, En ego, dicat:* vel *Si Iupiter, En ego, dicat:* hic *Iupiter* me non offenderet. Nam et ille saepe simpliciter Deus appellatur, et nomen ipsum bene repeteretur. Nunc praecedens *si quis Deus* proprium Dei alicuius nomen refutat. Utar exemplo, quod legitur in Platonis Alcib. I. p. 105. δοκεῖς γάρ μοι, εἴ τίς σοι εἴποι θεῶν, ὦ Ἀλκιβιάδη, πότερον βούλει ζῆν, ἔχων ἃ νῦν ἔχεις, ἢ αὐτίκα τεθνάναι, εἰ μή σοι ἐξέσται μείζω κτήσασθαι, δοκεῖς ἄν μοι ἑλέσθαι τεθνάναι. et, multis interpositis: καὶ εἰ αὖ σοι εἴποι ὁ αὐτὸς οὗτος θεὸς, ὅτι κτλ. Non credo Platonem in postremis dicturum fuisse, καὶ εἰ αὖ σοι εἴποι ὁ Ζεύς. Fortasse Horatius dedit: *Quid caussae est, merito quin illis turpiter ambas Iratus buccas inflet.* Quid caussae est, quin iste Deus, merito illis iratus, ambas buccas turpiter inflet, adeo inflet, ut vultum faciat turpem. *Turpiter inflet*, ut in Epistola ad Pisones, mulier *turpiter desinit in piscem.* Quam *turpis* fiat facies ira excandescentium, et notum est, et Seneca, Plutarchus aliique tamquam argumento usi sunt, ut ab ira dehortarentur. Sueton. Claud. 30. *ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus. Turpiter* et *Iupiter* parum differunt, ac fere nihil, si, quod multi praeferunt, scribatur *Iuppiter.* Iungenda autem sunt *illis iratus*, non *illis inflet.* Sed ubi mens fuit Burmanni, interpretantis ad Petron p. 205. „Iupiter iratus colaphos iis infligit, et contemtissimos mortalium reddit: nam ita solebant, quos alapis tundebant, prius buccas inflare iubere, quod *os praebere* dixit Terentius? Burmannum minus bene in eo egisse, iam Oudendorp. ad Appul. Metam. p. 633. animadvertit.

Praeterea, ne sic, ut qui iocularia, ridens Percurram. Haec ego cuncta putem faciliora, si sic legantur: *Interea (ne sic, ut qui iocularia, ridens Percurram; quamquam ridentem dicere verum Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima, Et tandem amoto quaeruntur seria ludo) Ille gravem* sq. Interea, ut sine ioco loquar, quamquam et ridendo verum dici possit, manet in suo quisque vitae genere, laborem perfert, cibaria congerit, ut senex in otia recedat. Prima elementa, ut radices, sunt amara, tamen devoranda. Doctores igitur dulcia reddunt additis crustulis. Veritas quoque est amara, et odium parit. Poëta facit dulcem, iocis admixtis. Ita pueri et lectores suo commodo decipiuntur, et quod amarum sed salubre est, recipiunt: ducuntur illi crustulis, hi ridendo ad seria. Quando pueri, ita decepti, elementa didicerunt, ludus iste non amplius adhibetur: iam seria *quaeruntur*, disputantur, docentur.

Sed tamen amoto quaeramus seria ludo.
Ille, gravem duro terram qui vertit aratro;
Perfidus hic caupo, miles, nautaeque, per omne

Terram qui vertit aratro. Meinekius annotavit: „ad Horatii artem qui attenderit, haud invitus, credo, concedet scribendum esse *duro qui terram vertit aratro.* Hac enim numerorum conformatione Horatius cum alias saepe, tum in re ardua et difficili constanter utitur.“ Libens assentior. Et dictu incredibile est, quam saepe librarii vocabula in Satiris male transposuerint, nunc, ut metrum facerent elegantius, nunc ut sententiam clariorem, nunc aliis de caussis. Perverso isti studio deinde accessit perversa recentiorum interpretum cura, ut v. c. Cuninghami. Vide vel vs. 5. *multo iam fractus:* hoc ille corrupit in *multo fractus iam.* Admonitioni Meinekianae addendum puto, Horatium et optimos poëtas ista numerorum conformatione constanter esse usos, si sonus quoque admitteret, ut admisit Sat. I. IV. 20. *Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis.* Et hoc librarii mutarunt, scribentes: *ferrum dum.* Quod eidem Cuninghamo placere potuit.

Perfidus hic caupo. Quis locus sit cauponi, non intelligo. Mercatores, milites, rustici sunt honestae conditionis, numerosamque hominum classem, praeter alias, constituunt. Quare Horatius exempla eorum, qui sua sorte non contenti sunt, ex illis vitae generibus legit. In vs. 4. sq. exempla militis, mercatoris, rustici et iurisconsulti proposuit: in vs. 15. sq. eadem repetiit, *eris, tu modo miles mercator, tu consultus modo, rusticus.* Quare nunc pro *consulto* induxisset *cauponem*? Poëta, dicunt, *consultos* carpere noluit, cum praesertim non lucri sed honoris et utilitatis caussa de iure responderent. Tunc, credo, nomine tam praeclaro prorsus abstinere debuerat. Quid? quod *consultum* iam in principio inter eos reprehendat, qui sua sorte non contenti vivunt, sed diversa sequentes laudant. Ergo idem *consultus*, si Deus facultatem vitae mutandae tribuat, sibi non magis constat, quam miles, mercator et rusticus. Nolebat, quod prius optarat. Alii personarum mutationem exemplis defendunt, et provocant ad Ernestum in Opusc. Philol. Crit. p. 131. de grata negligentia orationis disserentem. Ne dicam, huiusmodi negligentiam non esse gratam, qualis *forma neglecta*, quae, iudice Ovidio, viros decet, Ernestus utitur auctoritate Xenophontis et Maximi Tyrii, qui legem non observarunt, secundum quam antecedentia sententiarum et consequentia sibi accurate respondere debent. Iam Xenophon in consequentibus tantum omittit citharistam: non mutat personam. Max. Tyrius omittit gubernatorem navis, adiicit rusticum et oeconomum. Sed apodosis ibi fortasse aliter institui potest, vel accipi coniectura Marklandi. Praeterea Graeca exempla hic minus faciunt ad explicandam talem negligentiam. Si Ernestus ex Latino scriptore, v. c. ex Cicerone suo, attulisset simile aliquid, melius fecisset. Vel sic tamen lis tantum lite resolveretur. Et *caupo*, praesertim *perfidus*, alibi appellatus *malignus*, hic locum tueri non potest. Interim omnia MSS. in ista lectione conspirant, nisi quod nonnulla praebent *campo*. Interpretes variis coniecturis certant. *Pervigil hic campo miles. Perfidus hic campo, miles. Fervidus in campo, miles. Perfidus hic cautor. Callidus hic cautor. Caussidicus vafer hic, miles.* Apitzius laudat Obbarii *Pervicus hic campo miles:* ipse legit *Perficus.*

Ego conieci: *Responsi hic caupo, miles, nautaeque.* Quam proprium sit

Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, quum sibi sint congesta cibaria: sicut
Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris,
Ore trahit quodcumque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit et illis utitur ante
Quaesitis sapiens, quum te neque fervidus aestus
Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,

iurisconsultis *responsum* et *respondere* nemo ignorat. Veteres illi in respondendo spectabant honorem et utilitatem civitatis, alii deinde suam minime negligebant, imo unice fere lucro studebant. Noster certe consultus, ut socii, quibus Horatius addidit, rebus suis non erat contentus, et laborem ferebat, ut senex in otia tuta recederet. Cogitabat ille, quod est apud Plautum Merc. III. II. 7. *Adolescens cum sis, tum, cum est sanguis integer, Rei tuae quaerendae convenit operam dare: Demum igitur, cum senex sis, tunc in otium Te colloces.* Ergo *cauponabatur* responsum, responsi sui erat *caupo*. *Cauponari* ut Ennianum illud *cauponantes bellum*, bellum lucri caussa gerentes; *caupo* translate apud Tertull. Anim. 3. *Caupones sapientiae atque facundiae:* Claudian. in Eutrop. I. 197. *hoc certa proponit merce locandum Institor imperii, caupo famosus honorum.* Graece οἱ πραγματευόμενοι τὴν σοφίαν. Nam κάπηλος est πραγματευτής. Eadem est ratio in verbo *vendendi*. Seneca Herc. Fur. 172. ubi itidem loquitur de variis hominum studiis: *Hic clamosi rabiosa fori Iurgia vendens improbus, iras Et verba locat.* Martial. V. 16. *Nam si falciferi defendere templa tonantis, Sollicitisque velim vendere verba reis, Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas.* Ita *caussidici* ditescebant. Omitto *emere, mercari*, similia. Ita consultor emit, consultus vendit. Est mercatus responsorum. Venditor saepe falsa veris immiscet, ut caupo aquam vino.

Alii utuntur auctoritate Ernestina, e Max. Tyrii Dissert. X. gratam illam negligentiam defendentis, eamque ad locum Horatii explicandum referunt: ego utar eiusdem Max. Tyrii exemplo e Dissert. V. ad confirmandum, quod divinabam: *responsi hic caupo.*

Ille Horatiana ante oculos habuit, quod iam animadvertit Marcilius. Neque hoc cuiquam mirum videbitur, qui cogitet, et alia multa esse Graecorum Latinos imitantium exempla, et Tyrium fuisse praeceptorem Caesaris Marci Aurelii. Aurelius Horatium amare didicerat a Frontone. Quem scriptorem amat Caesar, is non ignotus esse poterat magistro. Tyrius: καὶ ἴδοις ἂν τὸν μὲν γεωργικὸν μακαρίζοντα τοὺς ἀστικούς, ὡς συνιόντας τῷ βίῳ χαριέντι καὶ ἀνθηρῷ. τοὺς δὲ ἀπὸ τῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῶν δικαστηρίων καὶ τοὺς πάνυ ἐν αὐτοῖς εὐδοκίμους ὀδυρομένους τὰ αὐτῶν, καὶ εὐχομένους ἐπὶ σκαπάνῃ βιῶναι καὶ γηδίῳ σμικρῷ. Deinde, multis interiectis, repetit τὸν ἐν ἡδονῇ τηκόμενον, τὸν ἐν γῇ πονούμενον, τὸν ἐν ἐκκλησίαις βοῶντα, τὸν ἐν δικαστηρίοις φυρόμενον. Qui totam Horatii disputationem accurate expressit, ut comparantibus apparebit, ille profecto hic non vidit *cauponem* sed *iurisconsultum*, hoc est *cauponem responsi*, ut Horatius contemtim appellat.

Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
Quid iuvat, immensum te argenti pondus et auri
Furtim defossa timidum deponere terra?
„Quod, si comminuas, vilem redigatur ad assem.“
At, ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus ac meus, ut si
Reticulum panis venales inter onusto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
Naturae fines viventi, iugera centum, an
Mille aret? „At suave est ex magno tollere acervo.“
Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
Vel cyatho, et dicas „magno de flumine malim,
Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere.“ Eo fit,
Plenior ut si quos delectet copia iusto,
Cum ripa simul avulsos ferat Aufidus acer.
At qui tantuli eget, quanto est opus, is neque limo

Neque ille iurisconsultos et caussidicos multum amabat. Hinc *Alfenus vafer, vafri inscitia iuris, Labeone insanior,* alia. Ex RESPONSI facile fit PERFIDUS. Numerus literarum est idem, literae saepe transponuntur, et *caupo*, perverse acceptus, optime *perfidus* appellatur. Praeterea ex compendiis scripturae mille errores nascebantur; quam multae literae in medio longioris vocabuli omissae! Quid fieri non potuit v. c. ex RESPSI? Si sententia patiatur, ait Scioppius, vel maxime huic Criticorum audaciae indulgeam.

Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. Haec omnino interrogative sumenda sunt: *dum ne sit te ditior alter?* Sententia in vs. 36 incepta, hic finitur: aiunt se imitari exemplum formicae, quae, quodcumque potest, ore trahit, et acervo addit, non incauta futuri. Horatius respondet: Vosne ad formicam provocatis, eamque hic nominare audetis? Illamne formicam, quae, hieme veniente, sapienter antea parto utitur, nusquam prorepit, cum vos nunquam quiescatis? Habet interrogatio amaram negationem, quam Grammatici vocant *obiurgatoriam.*

Ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna Vel cyatho, et dicas. Oratio non facilis; cur plus laudas tua granaria nostris cumeris? Ut si opus sit non amplius urna vel cyatho, et dicas. Simplicior erat: *Ut, tibi si sit opus liquidi non amplius urna Vel cyatho, dicas: magno de flumine mallem Quam ex hoc fonticulo tantumdem sumere?* Cur ex magnis potius, quam ex parvis rebus ventrem impleas? Non enim tam stultus es, ut dicas: mallem cyathum aquae ex magno flumine quem ex fonticulo sumere?

Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum, decepta cupidine falso,
„Nil satis est," inquit, „quia tanti, quantum habeas, sis."
Quid facias illi? Iubeas miserum esse libenter
Quatenus id facit, ut quidam memoratur Athenis

At bona pars hominum decepta cupidine falso. Horatius locutus erat de avaris, qui pecunias corradebant, ut senes in otia tuta recederent, nec tamen fruebantur. Corradebant igitur nulla alia de caussa, nisi ut haberent. Nunc loquitur de alio genere avarorum, corradentium ut propter opes magni aestimarentur. Tanti enim fit quisque, quantum nummorum in arca servat. Hi appellantur *decepti falso cupidine.* Quid, quaeso, hic *falsus cupido* significat! Commentator: „falsa opinione, aut inepta et inani cupiditate." Igitur iam olim fuit duplex interpretatio. Ego primum dubito an *cupido* sic accipi possit pro *opinione.* Si possit, opinio ista non absolute *falsa* appellatur. Semper enim fiebat, ipse Horatius saepe testatur, ut divitiae famam, decus, fidem et omnia praeclara possidentibus conciliarent. Si interpretemur *inepta et inani cupiditate,* haec propria est omnibus avaris, illis quoque, quos modo reprehenderat. Nunc autem non de iisdem agit, sed qui corradunt decepti cupidine, ut videtur, nobiliore. Horatius scribere potuit: *At bona pars hominum decepta cupidine laudis.* Decepti, allecti cupidine, ut vivi et mortui laudentur propter magnas opes. Talis fuit ille Staberius Satir. II. III. 84. qui magnos thesauros reliquerat, et heredes summam in sepulcro incidere iussit, quia hoc *veluti virtute paratum Speravit magnae laudi fore.* De cupiditate haud ita dissimili Cicero Offic. I. 8. *Expetuntur autem divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates. In quibus autem maior est animus, in iis pecuniae cupiditas spectat ad opes et ad gratificandi facultatem, ut nuper M. Crassus negabat, ullam satis magnam pecuniam esse ei, qui inre publica princeps vellet esse, cuius fructibus exercitum alere non posset.* Ergo et Crassus dicebat: *nil satis est.* Et Plutarch. de Cupidit. Divit. V. in caussis istiusmodi nominat φιλοτιμίαν.

Nil satis est, inquit; quia tanti, quantum habeas, sis. Plutarch. de Cupidit. Divit. 7. sententiam nonnihil mutavit: κέρδαινε καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον, ὅσου ἂν ἔχῃς. Et illi, hoc agentes, laudi studebant. Caeterum forma *tanti sis,* non confundenda est cum altera *tantus sis.* Eam Velleio Paterc. II. 103. restituendam puto: *Tentemus id unum dixisse, quam ille omnibus fuerit. Tum refulsit certa spes liberorum, viris matrimoniorum* sq. Quam variis modis locus ab interpretibus sit tentatus, apparet ex annotatione Ruhnkenii, cui Burmannus recte emendasse videbatur: *contenti simus id unum dixisse.* Ego praeterea pro *quam* legendum puto *quantus. Contenti simus id unum dixisse, quantus ille omnibus fuerit.* Manifesta certe est imitatio Corn. Nepotis Hannib. V. *Longum est enumerare proelia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit.*

Iubeas miserum esse libenter. Homo libenter miser est, qui esse vult, sibi in sua miseria placet, ut Atheniensis ille, qui, populo sibilante, sibi plaudebat. Seneca Epist. 74. *Eodem modo fit, ut animos libenter aegros, et captantes caussas doloris, vetera atque obliterata contristent.*

Quatenus id facit, Ut quidam me-

Sordidus ac dives, populi contemnere voces
Sic solitus: „populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.“
Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Congestis undique saccis
Indormis inhians; et tamquam parcere sacris
Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
Quîs humana sibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
Formidare malos fures, incendia, servos,
Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

moratur Athenis. Pro *memoratur* in MS. Vienn. legitur *mercator*. Hoc minime contemnendum arbitror. Iubeas, sinas eum esse libenter miserum, quia libenter sic est, id facit, ut mercator quidam Athenis faciebat, libenter miser erat, homo sordidus ac dives, solitus his verbis voces populi contemnere.

Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina. Quid rides? Elegantius puto: *captas flumina.* Sic et risus avari melius intelligitur. Cur ille statim rideret ad solam fabulae commemorationem, quae praeterea esset nota? Risu abstinere non potuit, cum ipse appellaretur *Tantalus.* Ego, inquit, Tantalus? Tantalus nunquam fuit iste sititor apud inferos. Omnia fabulae. Horatius respondet: Est fabula, sed de te narrata. Muta modo nomen. Tu tibi es Tantalus: tua te sitis in mediis divitiis vexat: ut *sua quemque fraus*, non Furiae in fabulis, apud Ciceron. pro Rosc. Amer. 24. Nomina propria sic posita sunt ab Horat. Satir. II. III. 133. *Occidis Orestes.* II. v. 91. *Davus sis comicus.* Iuvenal. Satir. XI. 61. *Venies Tirynthius.*

Congestis undique saccis Indormis inhians. Commentator: „*Indormis.* vacas. *Inhians.* timens ne amittas, sollicitus ut plura acquiras, et stupens prae gaudio, quando illa adspicis.“ Sunt diversae interpretationes. Adeo iam olim fluctuabant, quo modo *indormis inhians* accipi deberet. Recentiores non minus fluctuant. Horatius mihi scripsisse videtur: *Congestis undique saccis Insomnis inhias, et tamquam parcere sacris Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.* Ita non dubium est, quid *inhias* significet. Virgil. Aen. VII. 812. *Illam omnis tectis agrisque effusa iuventus, Turbaque miratur matrum, et prospectat euntem, Attonitis inhians animis.* Servius: „Stupore quodam, ore patefacto.“ Recte *insomnis*, et metuens fures, et tantopere gavisus, ut contemplando satiari non possit. *Undique* iungendum puto cum *inhias;* saccos congestos miratur ab omni parte, undique iis inhiat. Denique ultima in *insomnis* producitur, ut Virgilianum: *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Quod ex *indormis inhians* feci *insomnis inhias* nemo mirabitur, cogitans scripturam Codd. literis maiusculis.

At si condoluit tentatum frigore corpus
Aut alius casus lecto te affixit; habes qui
Adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suscitet ac natis reddat carisque propinquis?
Non uxor salvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
Miraris, quum tu argento post omnia ponas,
Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
At si cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
Infelix operam perdas, ut si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.
Denique sit finis quaerendi: quoque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, et finire laborem

An si cognatos, nullo natura labore Quos tibi dat, retinere velis. In MSS. et vetustis edit. *atsi, atqui, acsi.* Coniiciunt *aut si, non si.* Malim: *Et si cognatos nullo retinere labore, Ut tibi dat natura, velis, servareque amicos, Infelix operam perdas, ut, si quis asellum In campo doceat parentem currere frenis. Miraris, cum tu argento post omnia ponas, Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?* Non uxor, non filius te vult salvum: vicini, omnes omnino te oderunt. Nec cognatos sic, ut natura eos tibi dedit, sine labore poteris retinere. Noli ergo mirari, si neque uxor, neque filius, neque vicini, neque cognati, si nemo te amet qui nihil amaveris, praeter pecuniam. Doderlinus legit: *retinere velis servareque amicos Infelix, operam perdas.* Si cognatos, quos tibi natura sine labore tuo dedit, antea a te neglectos, nunc factus infelix, retinere velis, operam perdas. Ingeniose. Imago tamen *asini*, quamcunque sententiam accipias, semper dictu difficile est, quomodo recte comparata videatur. Locum aptiorem haberet in fine huius satirae, et hic nemo eam desideraret, si legeretur: *Nec, si cognatos nullo retinere labore, ut tibi dat natura, velis, servaris amicos, Miraris sq.*

Quoque habeas plus, Pauperiem metuas minus. Doderlinus laudat interpretationem Ioh. Ad. Schaeferi, in Programmate a. 1820. accipientis *quo* tamquam *ut eo:* ut sentias te esse ditiorem, ut tibi ditior esse videaris, tu minus metue absentiam divitiarum: sententia, puto, haud dissimili, qua quis *ditissimus* appellatur, qui nil cupit, *dominus rei contemtae*, de quo dixi ad Horat. Carm. III. xvi.

Et finire laborem Incipias, parto quod avebas. Si Horatius scripsit *finire laborem*, in versu praecedente non scripsisset *sit finis quaerendi*, sed *Denique sit modus acquirendi*, vel *Denique quaerendi sit terminus*, ut in noto Solonis: πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισιν. Et quid, quaeso, differunt *sit finis* et *incipias finire*? Tum *incipias finire* minus est quam *sit finis*. Maius, puto, in re tali, postponendum minori. Nec satis est, admonere avarum, ut laborem finiat; admonendus est, ut quaesitis utatur. Coniicio: *Et frui, avare, laborem Incipias, parto quod avebas.* Ex compendiis scripturae mille errores orti

Incipias, parto, quod avebas; ne facias quod
Ummidius quidam — non longa est fabula — dives,
Ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
Non umquam servo melius vestiret, ad usque
Supremum tempus, ne se penuria victus
Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
„Quid mî igitur suades? ut vivam Maenius, aut sic,

sunt. Verba *frui et uti* in hac re frequentantur. Horat. Carm. I. 31. *Frui paratis*, ubi quaedam annotavi. Huc praesertim facit illud Curtii IX. 2. *Praeda magis parta frui velle, quam acquirenda fatigari.* Horatius *uti* in hac ipsa satira posuit: *et illis utitur ante Quaesitis sapiens*, et Satir. II. III. 167. *an nunquam utare paratis.* Accusativus post *frui* satis habet auctoritatis. v. Burm. in Anthol. T. I. p. 137. Sonus hic requirebat.

Nec facias quod Ummidius quidam. Tota oratio, ut censet Bentleius, scabrior et paene hiulca est: requiri enim „dives et sordidus qui metuebat," aut „qui dives et sordidus metuebat." Illud scabrum et hiulcum sic, puto, tolli potest: *ad usque Supremum tempus, ne se penuria victus Opprimeret, metuens: ast hunc liberta securi Divisit medium.* Ummidius quidam, ita dives, ut nummos metiretur, ita sordidus, ut se non melius servo vestiret, semper metuens ne se penuria victus opprimeret. Bentleius praeterea illud *quidam* non laudat, quia Ummidium vel divitiae vel avaritia celebrem et famosum reddiderant. Mihi *quidam* satis placet. Narrat fabulam. Fabularum, non fictarum quoque, illud antiquum est initium: *erat quidam dives avarus, erat quidam Ummidius*, dives avarus. Tum, qui alteri narraturus est fabulam, non putat rem et hominem illi esse notos. Quid? quod vel in nobilissimis hominibus, si aut sibi, aut quibus scribunt, fortasse minus noti sunt, *quidam* additur. Bentleium, verba Ciceronis Tusc. Disp. I. 48. sollicitantem, optime refutavit Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 54. Cicero scripsit: *Alcidamas quidam, rhetor antiquus, inprimis nobilis;* Velleius: *In hospitis cuiusdam nobilis viri, nomine Cameli, domo.* Ubi vel *nomine* adiicitur, de qua re vide Oudend. ad Appul. Metam. p. 120. et 456. Si, quae dixi, non satis valerent, Ummidius *quidam* significare simul posset hominem *contemtu dignum*, ut *Locusta quaedam* apud Sueton. Neron. XXXIII. Ubi Oudendorpius reprehendit Torrentium, *quaedam* male eiicientem. De nomine *Ummidio* Hemsterhusius annotavit: „Sic pro *Numilium* vel *Numidium* Quadratum in Aelii Spartiani Adrian. 15. codd. *Umidium*, quod probat Salmasius, sed renitente non tantum Reinesio, verum etiam T. Rykio ad Taciti Annal. XII. 65. Vide Ioseph. A. I. XX. 6."

At hunc liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaridarum. Quid mi igitur suades? Hemsterhusius annotavit: „Notandum in Callimachi versu, quem profert. Schol. Sophoclis Oedip. Colon. 481. Ἡσυχίδαι, quamvis Bentleius emendet Ἡσυχίδες. Vide fragmenta Callim. No. 123. Heins. ad Ovid. Heroid. XIII. 137. Bergler. ad Alciphron. I. Ep. 2. *Cecropidarum* Martian. Capella p. 135. Serv. ad Aen. X. 4. Statius Theb. IX. 650. et Gronov." Si omnia ista consideraveris, addideris quoque dicta ab Oudend. ad Frontinum. p. 181. et Caesar. B.

Ut Nomentanus?“ Pergis pugnantia secum
Frontibus adversis componere. Non ego, avarum

G. III. 20. et Estreo in Prosopographeia Horatiana, nihil ad expediendam huius loci difficultatem profeceris. Nunquam id efficies, ut *Tyndaridae* et *Tyndarides* sint eadem; et Falsterum in nomine *Eumolpidarum* significari feminas putantem, refutavit Ernestus in Actis Lipsiensibus; qui vel hoc unum sufficere iudicabat argumentum, si feminae fuissent, dicendum fuisse *Eumolpides*, non *Eumolpidae*. Si igitur *Tyndaridarum* est manus poëtae, genus masculinum Tyndaridae, filii Tyndari, simul genus femininum complecti debebunt. Et hoc Bentleius demonstrare conatus est. Quod ex Anthologia Graeca attulit, parum valet: *οἱ τρεῖς Τυνδαρίδαι Κάστωρ, Ἑλένη, Πολυδεύκης*, sic coniuncta non offendunt, ut neque Latina offenderent *Castor*, *Helena*, *Pollux*, *tres Tyndaridae*. Alia Bentleii exempla etiam minus valent. Clytemnestram, non additis fratrum nominibus, appellari unam *Tyndaridarum*, iam mirum est. Quid *fortissimam Tyndaridarum*? Vera Clytemnestra vix ita significaretur, nedum ficta, libertina, altera Clytemnestra. Haec erat fortissima *Tyndaris*, non *Tyndaridarum*, neque *Tyndaridum*, quippe non ex genere Tyndari, in quo sola Clytemnestra fortis fuit ad occidendum maritum. Si nomen Tyndaridarum extendere velis, et Orestem quoque, et sociam consiliorum sororem Electram comprehendere, comparatio non exacta esset. Nam Orestes et soror fortiores fuere, qui matrem interfecerint. Hic praeterea caedes mariti requiritur. Latinum in hac caussa est *fortissima Tyndaris*. Clytemnestra est *Tyndaris*. Seneca Agam. 897. *Armat bipenni Tyndaris dextram furens.* Iuvenal. Satira VI. 655. *Mane Clytemnestram nullus non vicus habebit. Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem Insulsam et fatuam dextra laevaque tenebat.* Ubi Clytemnestra figurate appellatur. I. Clericus coniecerat: *divisit medium fortissima Tyndaris. Horum Quid mi igitur suades.* Bentleius Clericum refutat, condonat illi *fortissima Tyndaris*, quod tamen non una de caussa displicebat; sed praesertim refutat, quia Naevius et Nomentanus sunt nepotes, qui avaro Ummidio opponuntur. Cur Bentleio *fortissima Tyndaris* displicuerit, non explicavit. Neque intelligo, cur displicere potuerit. Recte enim *Tyndaris* appellatur, quae fecit, quod Tyndari vera filia fecit, maritum occidit, ut in Iuvenale talis mulier appellatur Clytemnestra. Naevius autem et Nomentanus erant prodigi, sed alius alio modo, ille *vappa*, hic *nebulo*. Fortasse plura hic sunt corrupta, quae sic corrigenda propono: *ast hunc liberta securi Divisit medium, fortissima Tyndaris. Horum Utrum igitur suades, ut vivam? Naevius, an sic Ut Nomentanus?* Si non vis me esse avarum, et exemplo Ummidii deterres, utrum igitur horum, Naevium an Nomentanum vivam? Mutata constructione, dixit *sic ut Naevius. Aliquem vivo*, est vivo vitam alicuius, ut Sueton. Domit. 12. *vivere vitam Iudaicam.* Iuvenal. Satir. XII. 127. *Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum.* Boëth. de Cons. Philos. IV. Pros. 3. *Segnis ac stupidus torpet? Vivit asinum.* Talia fere sunt *vivere Bacchanalia*, *saltare Cyclopem*, *balbutire Scaurum*, alia: *utrum horum*, ut Satir. II. II. 64. *Quali igitur victu sapiens utetur? et horum Utrum imitabitur?* Epist. I. XVII. 16. *Utrius horum Verba probes et facta doce.*

Non ego avarum Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem. Vappa et *nebulo* differunt. *Vappa*, simplex et ineptus, *nebulo* impudens et mali-

Quum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli;

gnus; uterque autem sua prodigit. Quare scribendum puto *aut nebulonem*, quod est in MSS. nonnullis, pro *ac*, quod est in plurimis. Caeterum homo, quocum Horatius disserit, erat *avarus*. Quomodo igitur poterat vetare *avarum fieri?* Difficultas mutata distinctione *cum veto, te fieri vappam iubeo ac nebulonem* non tollitur. Nam *fieri* semper ad utrumque periodi membrum refertur. Melius putem: *Non ego avarus Cum veto sis, fieri vappam iubeo aut nebulonem.* Horatius *vetare* sic construit. Carm. III. II. 26. *Vetabo — sub iisdem sit trabibus.*

Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli. Porphyrio: „Tanais spado fuit, ut quidam aiunt, Maecenatis libertus, ut nonnulli, L. Munatii, ut nonnulli, Plancii." Corrigi iubet Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 63. *ut nonnulli, L. Munatii Planci.* Fortasse melius erat: *ut nonnulli L. Munatii, ut nonnulli L. Plotii.* L. Munatius Plancus, et L. Plotius Plancus erant fratres. De *Plotio* vide Ruhnk. ad eundem Paterculum II. 67. Iam, ut Scholiastae docent, Tanais fuit spado, socer Visellii fuit herniosus. Poëta pro spadone et hernioso utitur nominibus propriis. Oportet igitur eos vitio corporis laborasse praeter omnes, vitiis huiusmodi laborantes, insigni. Quale illud in spadone fuerit, haud satis intelligo. In herniosis est discrimen: an et in spadone? Romae magna erat spadonum multitudo. Qui ergo ad exemplum notatur, non simpliciter notari potuit hoc nomine. Famosus erat turpi aliquo animi vitio, factisque indignis? Et hoc, credo, de Tanai, spadone unius tam illustrium virorum, cognovissemus. Interea vel nomen domini ignoratur. Quid dicam de locutione fere proverbiali, qua dissimilitudo inter avarum et prodigum indicatur? Ea mihi quidem tam ridicula et inepta videtur, ut summopere mirarer, si Horatio exciderit, praesertim ita cum praecepto gravissimo, ex media philosophia petito, coniuncta. Quis unquam sententiae pulcherrimae *Est modus in rebus, sunt certi denique fines Quos ultra citraque nequit consistere rectum*, vel praeposuit vel postposuit *Est quiddam inter spadonem et improbissime natum?*

Tanais, credo, est nomen fluminis. Flumen desiderat alterum flumen, ita ut medium sit ingens intervallum. Finge in MS. fuisse TANAĪQUIDDĀSERŪQUE. Quam facile hinc oriri potuit *socerumque* pro *Eridanumque*, idque eo facilius, quia *Viselli*, quod esset vocativus, acciperetur pro genitivo? Horatius fortasse scripsit: *Est inter Tanain quiddam Eridanumque, Viselli.* Inde a vs. 38. alloquitur avarum quendam. Eum nunc suo nomine appellat *Visellium.* Est quaedam indignatio admonentis in fine, et proverbio quoque refutantis. Est quiddam, aliquid, magnum spatium, o Viselli, inter Tanain et Eridanum. Distantia isto modo significantur. Propert. I. XII. 3. *Tam multa illa meo divisa est millia lecto, Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.* M. Aur. Caesar Frontoni Tom. I. p. 68. *Ego qui a Graeca literatura tantum absum, quantum a terra Graeciq mons Coelius meus abest.* Eiusdem generis est neotericum illud, de quo Erasmus in Adagiis: χωρὶς τὰ Μερόου καὶ Σιλωὰμ ῥεύματα.

Illa *est quiddam inter Tanain et Eridanum* habent naturam proverbii. Iam olim Scholiastae ita acceperunt. Superest indicium in hoc scholio Porphyrionis: „Sumsisse hoc ex proverbio Graeco, sub Nominibus relatum est; illi enim ita dicunt: .... quod tamen

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
Illuc, unde abii, redeo. Nemon' ut avarus
Se probet, ac potius laudet diversa sequentes,
Quodque aliena capella gerat distentius uber,
Tabescat, neque se maiori pauperiorum
Turbae comparet, hunc atque hunc superare laboret?
Sic festinanti semper locupletior obstat:
Ut, quum carceribus missos rapit ungula currus,
Instat equis auriga suos vincentibus, illum
Praeteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
Dicat, et exacto contentus tempore vita

in Latino sermone usurpari scimus." Si Graecum proverbium alicubi exstaret, certius de re ista iudicari posset. Propertius, totus fere a Graecis pendens, imitatus esse videtur. Baxterus proverbium sic concepit: *διήνεγκε τι Ταναὶς καὶ Βισέλλου ἐκυρός*. Tum vero non est locus Tanai spadoni nec socero Visellii hernioso, minime liberto Maecenatis aut Plancorum. Unde enim Graecum proverbium de Romanis istis?

Sic festinanti semper locupletior obstat. Cogitaveram de hoc versu transponendo: *Ut, cum carceribus missos rapit ungula currus, Instat equis auriga, suos vincentibus, illum Praeteritum temnens, extremos inter euntem: Sic festinanti semper locupletior obstat.* Nunc a grammatico adiectum esse arbitror. Hi, ut notum est, saepe, quod comparationi deesse putabant, suppleverunt. Vel unus Virgilii locus in Georg. I. 512. satis ostendit, quanto elegantior sine versu isto fiat oratio: *Vicinae ruptis inter se legibus urbes arma ferunt: saevit toto Mars impius orbe. Ut, quum carceribus sese effudere quadrigae, Addunt in spatia, et frustra retinacula tendens Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.* Eodem modo in comparatione *ut* omittitur, et tantum *sic* ponitur. Latinum erat: *Sic, cum carceribus missos rapit ungula currus:* Doderlinus *sic* ad sequentia refert: qui eodem ardore cupit divitias, quo auriga victoriam: sic instat, ut auriga instat.

Praeteritum temnens extremos inter euntem. Doderlinus: „*velut, quasi inter extremos euntem.* Quivis, iam praeteritus, aurigae videtur similis illi, qui it inter extremos: auriga non cessat, prius quam omnium primum superarit. Alias tria ultima verba parum significant." Acute et vere. Horatius particulam comparativam saepe omittit, sed raro, ni fallor, tam obscure, quam hic; apparet vel ex eo, quod nemo vidit, quod vidit Doderlinus. Cur non potius scripsisset: *Praeteritum extremos temnens velut inter euntem.* Sic nemo mentem poëtae non statim intellexisset.

Exacto contentus tempore vita Cedat uti conviva satur. Si Horatius scripsisset *vitae*, quod Wakef. putabat, iungerem *vitae satur*, ut suavius, quam *tempore vitae.* Lucretius, iam a Lambino laudatus, III. 951. *Cur non ut plenus vitae conviva recedis, Aequo animoque capis securam, stulte, quietem?* Seneca Epist. 61. *Vixi, quantum satis erat: mortem plenus exspe-*

Cedat, uti conviva satur, reperire queamus.
Iam satis est. ne me Crispini scrinia lippi
Compilasse putes, verbum non amplius addam.

cto: et 98. ***De nostro damno agitur, quibus senex egregius eripitur. Nam ipse vitae plenus est, cui adiici nihil desiderat sua caussa, sed eorum quibus utilis est.*** Neque ignota locutio Hebraeis: Genes. XXV; 8. ἀπέθανεν Ἀβραὰμ, ἐν γήρᾳ καλῷ πρεσβύτης, καὶ πλήρης ἡμερῶν.

Iam satis est, ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes. Verbum non amplius addam, Infelix operam perdens, ut si quis asellum In campum doceat parentem currere frenis. Si versus ex superiore loco huc transferas, et *perdas* mutes in *perdens*, sententiae utrobique satis clara exsistit. Atque haec iam sufficiant, ne Crispinum compilasse me putes. Verbum non amplius addam; nam, si adderem, operam infelix perderem, infeliciter, male perderem: avarum non magis docerem rationi parere, quam asinum fraenis. Haec est vera imago, vera comparatio, et sententiae proverbii respondet. Asinus est indocilis et contumax. Etiamsi plura, quam adhuc monui, monerem, ea tamen non faceret, nec salutaria esse intelligeret.

SATIRA II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Moestum ac sollicitum est cantoris morte Tigellî;
Quippe „benignus erat.“ Contra hic, ne prodigus esse
Dicatur metuens, inopi dare nolit amico,
Frigus quo duramque famem propellere possit.
Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,

SATIRA II.

Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem. Variis modis *ingrata* accipitur. Commentator: „quae normam et modum sive gratiam non habet.“ Alii, *grata nulli*, h. e. illaudata, alii *ingrata* erga avum et patrem. Et illi profecto talem gratiam pro industria sua et labore non exspectaverant. *Ingluvies*, voracitas gulae, aliud potius epitheton postulare videtur, magis Horatianum, ut *praeclaram iratu stringat malus ingluvie rem.* Heluo, natus abdomini, ardet cupiditate edendi, perdendique bona avita et paterna. Habet ventrem iratum, et rebus suis iratus est. Horat. Satir. II. VIII. 5. *Quae prima iratum ventrem placaverit esca.* Epist. II. II. 28. miles Luculli *Vehemens lupus et sibi et hosti Iratus pariter, ieiunis dentibus acer.* Seneca Epist 120. *Multi sunt, qui non donant, sed proiiciunt. Non voco eum liberalem, pecuniae suae iratum.* Eleganter *irata ingluvies* illius, qui omnia obsonia coëmit, et, ut Seneca Epist. 77. dicit: *invitus relinquit macellum, in quo nihil reliquit.* Poëtae ad rem transferre solent, quod proprium est homini: velut in hoc ipso adiectivo, *irata sitis, manus, ignis.*

Omnia conductis coemens obsonia nummis;
Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi,
Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
Fufidius vappae famam timet ac nebulonis,
Dives agris, dives positis in foenore nummis.
Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget;
Nomina sectatur, modo sumta veste virili,
Sub patribus duris tironum. „Maxime," quis non,
„Iupiter!" exclamat, simul atque audivit; „at in se
Pro quaestu sumtum facit hic?" Vix credere possis,
Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
Si quis nunc quaerat: „Quo res haec pertinet?" Illuc:
Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Vide Burm. ad Propert. III. VI. 4. Phaedrus III. II. *saevit irato impetu.* Ubi Heins. minus recte legebat *iterato.* Vocabula *ingratus* et *iratus* saepe in MSS. confunduntur. Conf. Gronov. ad Liv. XXV. 4. Doderlinus ingluviem dici putat *ingratam* erga illum, qui omnia ingluviei dedit, et nullam ab ea gratiam retulit, fere ut qui omnia amicis sua largiendo effundunt, neque eos propterea gratos experiuntur, si usus sit. Acute profecto. Sed epitheta, quae tam multa significare possunt, fere est ut dicam, parum significant. Ingluvies *irata* saltem certius aliquid significat.

Dives agris, dives positis in foenore nummis. Lachmannus versum, ut ex Epist. II. III. 241. huc illatum, reiecit. Idem fecit Hauptius, assentiente Meinekio. Ego non dissentio.

Hic vix credere possis Quam sibi non sit amicus. Multo acrius, et propterea nunc melius: *hic? vix credere possis.* Quid? Hunc pro quaestu sumtum in se facere? Vix credas, quam se cruciet. *Sibi non amicus*, ut Satir. II. II. 97. *Sibi iniquus.* Seneca Epist. 108 laudat poëtae: *In nullum avarus bonus est, in se pessimus.* Iam alii, ut volebam, distinxerunt. Doderlinus praeterea: *sumtum facit?* Laudo.

Pater ille, Terenti Fabula quem miserum gnato vixisse fugato Inducit. Melius puto: *Pater ille Terenti Fabula, quem inducit.* Pater ille, qui se tam male cruciat, est fabula Terenti, Heautontimorumenos. Hunc patrem Terentius inducit, non fabula inducit. Poëta εἰσάγει δρᾶμα πατέρα, εἰσάγει δράματα Θυέστας, Οἰδίποδας. Cicero Tusc. IV. 24. *Cum Orestem fabulam Euripides doceret.* Sueton. Neron. XI. *Inducta est et Afranii togata.* Plaut. Pseud. Prol. 25. *Fabula in scenam venit.* Non memini an sic dicatur: fabula *inducit patrem*, δρᾶμα εἰσάγει πατέρα. Heindorfius animadverterat *inducit vixisse* pro *viventem* a nemine Grammatice explicatum esse. Optime iam explicatum est a Doderlino, quasi *praegnans:* „in scenam inducendo fingit." Hinc quoque apparet, quanto melius sit *Terentius inducit*, quam *fabula inducit.*

Malthinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus:
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
Nil medium est. Sunt, qui nolint tetigisse nisi illas,
Quarum subsuta talos tegat instita veste;
Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
Quidam notus homo quum exiret fornice, „Macte
„Virtute esto," inquit sententia dia Catonis:

Malthinus. Ut plerumque fit in fictis huiusmodi nominibus, varie scribitur: *Malchinus, Malchimus, Melchinus, Maltinus.* Commentator: „Malthini nomine quidam Maecenatem significari suspicantur: a re autem ipsa fictum est nomen. μαλθακός enim et μαλακός idem est quod *mollis* et *delicatus.*" Fortasse in suo codice vidit *Malthacinus.* Hoc saltem derivari poterat a μαλθακός. Et Μαλθακή est nomen Comicum, apud Lucian. Rhetor. Praecept. 12. A μαλθακός non recte formatur *Malthinus*, ut iam Bentleius censuit.

Est qui Inguen ad obscoenum subductis usque facetus. Suspicor librarios locum corrupisse. Multo certe elegantius pro *est qui* nomen aliquod proprium legeretur, ut leguntur *Malthinus, Rufillus* et *Gargonius.* Fortasse alicui aptum nomen in mentem veniet. Mallem quoque: *inguen ad obscoenum subductis usque. Facetus Pastillos Rufillus olet.* Rufillus haberi volebat *facetus*, semper bene olendo; non intelligens bene olere, qui nihil olet. Doderlinus idem volebat.

Nil medium est. Doderlinus interrogative: *Nil medium est?* quia alioquin hoc dictum ad omnes homines pertinere videretur, cum pertineat ad stultos. Horatius loquitur *de stultis*, in quibus nil medium esse, iam exemplo Rufilli et Gargonii monstravit, et aliis deinceps monstrat. Quare in vulgata equidem potius acquiescam.

Macte Virtute esto, inquit sententia dia Catonis. Sunt, qui *sententiam Catonis* interpretentur *ipsum Catonem*, ut *virtus Catonis*, similia, et adumbratum putent ex Lucilio *Valeri sententia dia:* ita iam Dousa fecit ad Sulpitiae Satiram 48. *Quos inter Prisci sententia dia Catonis.* Quis scit, an Lucilius ita ipsum Valerium significaverit? Nota est periphrasis, in qua Latini Graecos imitantur. Iam Homerus: ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο. Sed in omnibus huiusmodi exemplis indoles, conditio, natura totius hominis expri mitur. Horat. Satir. I. III. 3. *Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.* Commentator ad Satir. I. III. 3. „Licinius autem de Hermogene loquens, sic ait: *Sardi Tigelli putidum caput venit;* ubi *venit* est perfecti temporis. Iuvenal. Satir. IV. 81. *Venit et Crispi iucunda senectus;* et vs. 197. *Montani venter adest.* Ad istam rationem *sententia dia Catonis* referri non potest. Nam, ut omittam *sententia inquit*, quod mihi permirum videtur, *sententia* non est substantivum simile illis *virtus Catonis, senectus Crispini, caput Tigelli.* Ea sunt inseparabilia a Catone, Crispino, Tigellio, illos constituunt, comitantur, in illis sunt. At *sententia Catonis* et *Cato* non sunt isto modo eadem. Multae erant Catonis sententiae, quas variis temporibus, varias proferebat, sicuti aliquando hanc, ab Horatio memoratam. Quare *sententia Catonis* accipienda, ut Lucretii III. 372. *Illud in his rebus nequaquam sumere possis, Democriti quod*

„Nam simul ac venas inflavit tetra libido,
Huc iuvenes aequum est descendere, non alienas
Permolere uxores.“ — „Nolim laudarier,“ inquit,
„Sic me“ mirator cunni Cupiennius albi.
Audire est operae pretium, procedere recte
Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent,

sancta viri sententia ponit. Nisi Horatium ita interpretaris, melius erat: *inquit sapientia dia Catonis.* Recte *sapientia Catonis inquit*, pro sapiens Cato inquit. Totus Cato erat *sapientia*, et appellabatur *sapiens*, quasi cognomine. Eadem coniectura in mentem venerat Estreo in Prosop. Horat. p. 255.

Nam simul ac venas inflavit tetra libido. Vir doctus coniecerat *tenta libido.* Bentleius vulgatum tuetur duobus exemplis, uno Porcii Latronis in Catilin. *adiutore teterrimarum libidinum*; altero Lactantii: *de istis loquor, quorum teterrima libido ne capiti quidem parcit.* De Porcio Latrone, incepto declamatore, veri Latronis nomen mentito, nihil dicam. Et Cortius ad cap. 15. iam animadvertit, istum locum exiguae esse virtutis ad confirmandum Horatii locum. Est in eodem Latrone cap. 34. *rationes vitae suae veteres ac novas in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas.* Credo ista, magis etiam Lactantii, eo valere ut *tetra* in Horatio repudiemus. Nam indicant veram adiectivi significationem, de qua hic cogitari non potest. Cato libidinem detestatur, cui melius erat adolescentes resistere, sed, natura instigante, resistere non possunt, illud simpliciter, quo, ut alibi dicit poëta, *doleat natura negato.* Talem libidinis vim detestari poterat communi aliquo epitheto, appellans v. c. *sacram*, ut *auri sacra fames*, vel *sceleratam*, quod ironice pronuntiatum, minus significat, quam videtur: non sic appellans *tetram.* In MS. Dorv. legitur *inflaverit atra libido.* Coniicio: *Nam simul ac venam inflavit irata libido.* Horat. Sat. I. II. 71. *mea cum conferbuit ira.* Martial. IV. 66. *Villica vel duri compressa est nupta coloni Incaluit quoties saucia vena mero. Inflavit irata*, ut Satir. II. 1. 82. *Si mala condiderit in quem:* ut alia omittam, in quibus brevis syllaba, uti in noto Virgiliano: *Nam tibi Thymbre caput Euandrius abstulit ensis*, producitur. Scribebatur VENĀINFLAVITIRATA. Hinc illa corruptela, librariis quoque metro timentibus.

Mirator cunni Cupiennius albi. Acro: „Cupiennius quidam amator matronarum ait: hoc me laudari nolo. Hic familiaritate Augusti clarus fuit, corporis sui diligens et sectator matronarum. Alibi autem matronalis dicitur.“ Illa *alibi autem matronalis dicitur* me primum morabantur, et nescio quid significari putabam. Legendum: *albi* autem *matronalis* dicitur. Si non est error librariorum, est saltem typothetarum.

Procedere recte Qui moechis non vultis, ut omni parte laborent. Meinekius: „Moechos ab omni parte laborare, non ii, opinor, docendi erant, qui nolunt moechos recte procedere, sed ii potius, qui favent moechis eorumque caussam defendunt; itaque scripturae vitium latere puto, ac cum plurimi optimique libri non *moechos* habeant, sed *moechis*, nescio an scribendum sit; *procedere recte Qui moechis rem vultis.* Qua emendatione admissa locus etiam similior evadit Ennianis versibus, a Scholiasta comparatis: *audire est operae pretium, procedere recte Qui rem Romanam Latiumque augescere voltis.*“ Mihi hoc tam verum videtur, ut, si mocchus sumi posset ad-

Utque illis multo corrupta dolore voluptas,
Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
Hic se praecipitem tecto dedit; ille flagellis
Ad mortem caesus; fugiens hic decidit acrem
Praedonum in turbam; dedit hic pro corpore nummos;
Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
Demeterent ferro. „Iure" omnes; Galba negabat.
Tutior at quanto merx est in classe secunda,
Libertinarum dico; Sallustius in quas

iective pro *moechicus*, praeterea emendarem: *procedere recte Qui moecham rem vultis, ut omni parte laboret.* Desistite rei tam desperatae favere et succurrere: laborat omni parte. In *vultis* respicit formulam, ut v. c. Liv. XXII. 50. *Ite mecum, qui et vosmet et rempublicam salvam vultis.* Sic in Satira I. 1. *Non uxor salvum te vult.* Res *moecha*, ut res *Romana.* Liv. XXIII. 11. *Magisque ex sententia respublica vestra vobis procedet.* Cato: *ubi haec res tam secunde processit.* Ex *re* bene ducitur *illis.*

Utque illis multo corrupta dolore voluptas Atque haec rara cadat dura inter saepe pericla. Hoc est: utque illis eveniat voluptas corrupta multo dolore, atque haec ipsa voluptas rara, et saepe inter dura pericula, eveniat. Quo rarius, puto, alicui voluptas contingat, cum *multo* dolore coniuncta, et inter dura pericula, eo melius. Fortasse legendum: *Utque illis nullo corrupta dolore voluptas Rara cadat, atque haec dura inter saepe pericla.* Raro fruuntur voluptate nullo dolore corrupta; si fruuntur, plerumque fit inter dura pericula. *Dolores* et *pericula*, res diversae, in sq. explicantur. Vocabula in Satiris centies male transposita sunt. Codd. MSS. testantur. Librarii saepe transponebant, si metrum non constare iudicarent.

Caudamque salacem Demeterent ferro. Ita legendum ex coniectura Barthii, pro *demeteret.* Si hoc servandum, legatur *ferrum* ex MSS. Cruquii. *Salacem* commentator interpretatur libidinosam, a *saliendo* dictam. Hinc, credo, compositum *salaputium*, et corrigo Sueton. Caesar. 59. *Despectissimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitae Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit.* Suetonius scripsisse videtur: *Salaputioni. Salaputio* est *salax putus, putio* forma diminutiva, superlativo usus est Augustus, appellans Horatium *putissimum* penem, ut narrat Sueton. in vita Horatii. Caeterum conferantur interpretes ad. l. l. Suetonii, praesertim Scaliger et Burmannus in Anthol. Latina T. I. p. 676.

„Iure" omnes. Ita iam recte distinguitur. Alii non recte: *iure omnes.* Pari modo in senatu res saepe per acclamationem conficiebantur. Trebell. Pollio in Valeriano I. *Quae quum essent saepius dicta, addiderunt:* Omnes. *Atque ita discessum est.* Vide Casaub. Omnes hic consentiebant, solus Galba dissentiebat.

Libertinarum dico; Sallustius in quas Non minus insanit. Melius, ni fallor: *„Tutior at quanto merx est in classe secunda, Libertinarum:" dicit Sallustius, in quas Non minus insanit.* In classe secunda, hoc est libertinarum, dicit Sallustius, merx est multo tutior. Tria ponuntur exempla trium sententiarum: Cupiennius et

Non minus insanit quam qui moechatur. At hic si,
Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
Esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,
Hoc amat et laudat: „Matronam nullam ego tango“:
Ut quondam Marsaeus, amator Originis, ille,
Qui patrium mimae donat fundumque laremque,
„Nil fuerit mî,“ inquit, „cum uxoribus umquam alienis.“
Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
Fama malum gravius quam res trahit. An tibi abunde
Personam satis est, non illud, quidquid ubique
Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est ubicunque. Quid inter-
Est in matrona, ancilla peccesne togata?
Villius in Fausta Sullae gener, hoc miser uno

Galba laudant matronas, Sallustius libertinas, Marsaeus mimas et meretrices. Pro *in quas* Bentl. ex MS. *in qua*, nempe *classe*. Heinsius coniicit *in quîs*. *Insanit in quas*, Latinum est. Seneca Epist. 94. *Itaque irritamentum est omnium, in quae insanimus, admirator et conscius.* Insanire *in libertinas* non differt ab *ardere in libertinas*, qualis sententia hic requiritur.

Ut quondam Marsaeus amator Originis ille, Qui patrium mimae donat. Interpretes merito adspernantur *donat*, tamquam per syncopen positum pro *donavit*. Legendum fortasse: *Ut quondam Marsaeus amator Originis ille; Qui patrium mimae donans fundumque laremque, „Nil fuerit mi, inquit, cum uxoribus unquam alienis.“* Sallustius hoc uno se amplectitur, ut quondam Marsaeus ille se amplectebatur, qui donans, cum donabat, „nil mihi, inquit, cum uxoribus alienis.“

Doderlino iudice antecedens *quondam* praesenti *donat* significationem perfecti tribuit. Quaestio grammatica sane perdigna, quae amplius explicetur.

Villius in Fausta Sullae gener. Vir doctus in Observ. Miscellan. II. p. 88. vult *genere*, ut Fausta dicatur genus Sullae. Meinekius: „Non intellexisse videntur Critici illud *in Fausta* ex praecedente versu, *quid interest in matrona, ancilla peccesne togata*, suspensum esse. Hinc consequens est Horatium scripsisse: *Villius in Fausta Sullae genero, hoc miser uno Nomine deceptus, poenas dedit usque superque.*“ Admodum ingeniose. Voluit nimirum: Villius in Fausta peccans, poenas dedit marito illius, qui erat gener Sullae. Fausta erat non valde pudica. Nominantur plures adulteri, fictis saepe nominibus, unde multa in istis historiis obscura. Afferam verba Servii ad Aen. VI. 612. *Quique ob adulterium caesi.* Servius: „Si *occisi*, Aegisthum significat, Thyestae filium: si revera *caesi*, Sallustium, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suae uxoris Faustae, filiae Sullae.“ Legendum: *si verberibus caesi.* Ita Horatius mox *pugnis caesus.*

Illud *in Fausta peccans* illustravi ad Horatii Carm. III. 5. Sueton. de Il-

Nomine deceptus, poenas dedit usque, superque
Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
Exclusus fore, quum Longarenus foret intus.
Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
Diceret haec animus: „Quid vis tibi? Numquid ego a te
Magno prognatum deposco consule cunnum,
Velatumque stola, mea quum conferbuit ira?“
Quid responderet? „Magno patre nata puella est.“
At quanto meliora monet pugnantiaque istis
Dives opis natura suae, tu si modo recte
Dispensare velis, ac non fugienda petendis
Immiscere. Tuo vitio rerumne labores,
Nil referre putas? Quare, ne poeniteat te,
Desine matronas sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est quam ex re decerpere fructus.
Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos
Sit licet hoc, Cerinthe, tuum, tenerum est femur aut crus

lustr. Grammat. 16. *quum filiam patroni, nuptam Marco Agrippae, doceret, suspectus in ea, et ob hoc remotus, ad Corn. Gallum se contulit.* Mirum interpretes Plauti M. Glor. III. 1. 17. sollicitasse alios, alios non intellexisse: *Facile est imperium in bonis.* Doderlinus quoque coniecturam Meinekii laudat, ac praeterea legit: *Hoc miser uno, Nomine, deceptus. Hoc uno* substantive, *nomine* appositive; hac una re, scilicet *nomine* deceptus. Recte.

Exclusus fore, quum Longarenus foret intus. Nota Graecorum formula, unde Lucianus Dialog. Mer. 8. ἐπειδὴ δὲ ἐλθόντα ποτὲ ἀπέκλεισα, Καλλιάδης γὰρ ὁ γραφεὺς ἔνδον ἦν.

Huic si mutonis verbis Diceret haec animus. Comica oratio. Ex Comicis Lucianus Pseudol. 26. πρὸς θεῶν, ἦν λέγῃ ταῦτα ἡ γλῶττα, ἰδίαν αὐτῇ φωνὴν λαβοῦσα, καὶ τὸν πώγονα συνήγορον ἐπικαλεσαμένη, τί ἂν ἀποκρίναιο αὐτῇ;

Unde laboris Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus. Commentator: „Plus enim mali accepit, qui amat nobilem, si fuerit in re deprehensus, quam fructus et iucundi tatis ex amore.“ Et haec est sententia *Mali* omnino sufficiebat. Cur adderetur *laboris?* Legendum scilicet: *Unde labori Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.* Unde tu labori tuo plus mali hauris, quam fructus ex re. *Unde*, ex sectando matronas. Iste labor, si succedit, fit res, si non succedit, fit malum. Malum autem semper maius est, quam fructus. Conferatur illud Phaedri IV. 19. *Quem fructum capis Ex hoc labore? Nullum, inquit ille.* Idem hoc dici sic poterat: *quem fructum capis huic laborí*, idque magis exquisitum quam *huius laboris.* Elegans est iste usus dativi, saepe a librariis, non intelligentibus, in genitivum mutati. Ovid. Metam. VII. 812. *Auram exspectabam: requies erat illa labori.* Oudendorpius ad Caesar. B. G. V. 48. egregie illustravit.

Sit licet hoc, Cerinthe, tuum. Hic

Rectius, atque etiam melius persaepe togatae est.
Adde huc quod mercem sine fucis gestat, aperte
Quod venale habet ostendit: nec, si quid honesti est,
Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.
Regibus hic mos est: ubi equos mercantur, opertos
Inspiciunt, ne, si facies, ut saepe, decora
Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem,
Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua cervix.
Hoc illi recte; ne corporis optima Lyncei

agitur de feminis. Cur uteretur exemplo pueri, cum uti potuisset puellae? Culpam esse credo librariorum, non Horatii, qui fortasse scripsit: *Sit licet hoc, Cerintha, tuum.* Licet femur sit Cerinthae, inprimis nobilitatum. Quod idem elegantius effertur: licet *tuum sit, o Cerintha.* Horatius in Carminibus praefert terminationem Graecam, dixissetque adeo *Cerinthe*, sed in Iambis, Satiris, et Epistolis Latinam, ergo *Cerintha.* Conf. Bentl. ad Epod. XVII. 17. Nomina huiusmodi formantur ex masculinis, ut ex *Lycus, Lyce,* ex *Cerulus,* libertus apud Sueton. Vesp. 23, *Cerula*, in Inscriptione apud Gruterum. *Cerulus* est Κήρυλος. *Cerinthe* Κηρίνθη, herba a Plinio nominatur. At Virgil. IV. Georg. 63. *Cerinthae nobile gramen.* Librarii ubique fere terminationem Graecam et Latinam permiscuerunt. Ingentem exemplorum numerum congessit Oudend. ad Appul. Metam. p. 96. sq. Qui hic mutavit *Cerintha* in *Cerinthe*, fortasse noverat *Cerinthum* illum Sulpitiae Tibullianae, vel non cogitavit, si *Cerinthe* esset *puella*, ultimam produci. Hanc in *Cerintha* corripi, communis est eruditorum sententia.

Doderlinus legit: *sit, licet, hoc Cerinthe tuum.* Hic tuus mos sit, Cerinthe: Maneat tuus mos; orna te lapillis. Hoc te decet, et tibi prodest. Tum annotat: „In hoc ego Cerintho nec pathicum quendam, nomen idem, quod Cerinthus Tibulli, gerentem, nec meretricem, ab urbe Euboica ἡ Κήρινθος appellatam, agnosco; nisi fortasse dicta fuerit *Cerintha*, itaque corrigendum sit. *Mulier* sententiae loci magis respondet; nomen autem mulieris, desinens in *us-i* non facile invenietur."

Ne, si facies, ut saepe, decora Molli fulta pede est. Haec ita transponenda esse arbitror: *ne, si facies, ut saepe, decora, Quod pulchrae clunes breve, quod caput, ardua cervix, Molli fulta pede est, emtorem inducat hiantem. Facies* hic non modo *os, oculos, genas, nares* significat, verum etiam alias corporis partes, *clunes, caput, cervicem.* Exempla dedit Gronov. Lect. Plautin. p. I. Facies decora, quamvis molli pede fulta, emtorem inducit hiantem in sola facie, adeo ut pedem praetervideat. *mollis pes* vitio vertitur, *mollia crura* laudi.

Ne corporis optima Lyncei Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa, Quae mala sunt, spectes. Bentleius recte emendavit: *Tu corporis optima Lyncei Contemplare oculis; Hypsaea caecior, illa Quae mala sunt, spectas.* Quamquam *illa* ad Hypsaeam referre malim. In MSS. erat *contemplare.* Mihi in mentem venerat: *Tu corporis optima Lyncei Contemplate oculis — spectas.* Tu, postquam contemplatus es optima, negligis mala. Reges contra faciunt. Tu *contemplate* spectas, pro *contemplatus*, ut Virgil. Aen. IX. 485. *Heu canibus date praeda Latinis Alitibusque iaces.* Conf. Heindorf.

Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes. „O crus! o brachia!" Verum
Depygis, nasuta, brevi latere ac pede longo est.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,
Cetera, ni Catia est, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, (nam te
Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res,
Custodes, lectica, ciniflones, parasitae,

et Wustemannus ad Horat. Satir. II. II. 33.

Matronae praeter faciem nil cernere possis. Lucian. Dial. Mer. 11. εἶδες δὲ ὅλην ἀκριβῶς, ἢ τὸ πρόσωπον μόνον, καὶ ὅσα τοῦ σώματος φανερά;

Custodes, lectica, ciniflones, parasitae. Versus mihi valde suspectus est. Grammaticum aliquem adiecisse puto, ad explicandum illud: *multae tibi tum officient res.* Horatius in hac parte sermonis tantum demonstrat: in corpore matronae nihil spectari potest, nisi facies; caetera omnia teguntur: in corpore libertae omnia apparent, eaque inveniuntur plerumque longe pulchriora, quam in corpore matronae. De difficultatibus matronae conveniendae hic non agitur. Has attigit vs. 120 sq. Omitto *custodes:* omitto quoque *lecticam* et *parasitas;* quamquam fateor, me non satis perspicere, quis nunc locus dari possit lecticae, cum res domi sit agenda; neque simile huic exemplum vidi matronae habentis suas *parasitas*, ut maritus habebat *suos parasitos.* Dicam de *ciniflonibus.* Commentator: „*ciniflones* et *cinerarii* eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum, qui acus et veruta flando in cinere calefaciebant, quibus matronae crines crispabant: eius et Virgilius meminit, inquiens, *vibratos calido ferro.*" Acro et Porphyrio conveniunt. Acro: „dicti autem *ciniflones*, quod in cinerem flant ad calefaciendum ferrum, quos et cinerarios appellant," unde et in Commentatore melius legeretur *in cinerem.* Putantes igitur *ciniflones* et *cinerarios* esse eiusdem significationis, interpretati sunt verbis fere iisdem, quibus Varro de L. L. V. p. 132. cinerarium. *Calamistrum*, ait, *quod his calfactis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, a cinere cinerarius est appellatus.* Utrum Varro cinerarium recte, an, quod illi haud raro accedit, secus a *cinere* derivet, nunc nihil ad nos. Verbum ipsum extabat, de ornando calidis calamistris capillo usurpabatur, teste Varrone, et exempla verbi in Catullo et aliis supersunt: *ciniflonis* nullum superest exemplum, nisi quod hic legitur. Varro ignorabat. Alioquin memorasset ipso illo loco, ubi tam multa de mundo et ornatu muliebri, praesertim ad caput et capillos pertinentia, affert. Ergo nusquam invenit. Quod a nonnullis ad auctoritatem Plauti provocatur, error est. Plautus Aulul. III. V. 35. *Caupones, patagiarii, indusiarii.* Wouwerenus ad Petron. p. 613. omnino ex V. E. Florent. legendum dicit *ciniflones.* Si haec manus esset Plauti, exemplum diligentiam Varronis, quo nemo melius Plautum intelligebat, non latuisset.

Dicet fortasse aliquis, quid vetet, quominus *ciniflo* post Ennium, Plautum, alios veteres inventum sit, imo ipse Horatius procuderit? Sed nova nomina novis rebus imponuntur; capillos calamistris inurere non erat res nova. Qui in eo ministrabant, teste

Ad talos stola demissa, et circumdata palla:
Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.

Varrone, appellabantur *cinerarii*. Necessitas igitur non iubebat. Fortasse, inquit, elegantia sermonis suadebat *ciniflonem* pro *cinerario*. Elegantia, puto, in hac caussa cernitur, si novum nomen pulchrius et clarius appareat, quam vetus. *Ciniflo* se non ita commendat. Si *ciniflo* accipi possit quasi qui in cinerem *flat*, ut *erronem* nominamus *qui errat*, dubito an recte *ciniflo* pro *cineriflo* componatur, nec potius significet qui *cinerem flat* v. c. ex ore, ut faciebat Cacus, qui *flammas ore sonante vomit*, et θαυματοποιὸς flammam et *cineres:* sit autem *ciniflo* qui flat in cinerem, proprie nihil aliud significaretur, nisi vilis opera servi vel servae, ignes sub cinere latentes flando suscitantis, qualem famulam Franci appellant *cendrillon*. Vilis, inquam, opera, adeo ut pro convicio usitetur, sicuti *calfactoris*, qui ignem in monasteriis incendebat, unde nomen transiit in textrinas, et nostra plebs probri caussa utitur. Sic et usus esse videtur Vigilantius, teste Hieronymo Epist. 109. *cinerarios* appellans eos, qui cineres sanctorum martyrum venerabantur; atque ista notio ex *ciniflone* facile ducitur: altera non intelligitur, nisi addas, quod Scholiastae addidere, flari in cinerem, ad calefaciendum calamistrum, quo crines crispentur. Nec viri eruditi istam Scholiastarum interpretationem laudant. Alii derivant aliunde, Doderlinus ad h. l. opinatur vocem esse compositam Graecam, tamquam *ciniflo* sit κικιννοπολέων, ut *upilio* οἰοπολέων, quod ipsum exstet. Ingeniose. Sed fac, κικιννοπολέων quoque exstare, et Romanos inde formasse *ciniflo*, hoc, credo, non accidisset, nisi temporibus antiquissimis, quibus linguam Graecam, quamvis ipsi semi-graeci, non intelligentes, verba inde sumta male pronuntiabant et scribebant. Sic *Catamitus* invaluit pro *Ganymede*, *Alumentus* pro Laomedonte, *Proserpina* pro Persephone, *Suculae* pro Hyadibus, *Carthago* pro Carchedone, quod ,ipsum Graeci ex lingua Punica iam finxerunt. Haud dissimili modo in Europa recentiore vocabula Francica, a plebe inprimis, corrumpebantur. Apud nos ornamenta quaedam calceis, ad modum Henrici Quarti, affixa, appellabantur *Aricatra*. Ita rudis aetas Romana diu ante cinctutos Cethegos κικιννοπολέων corrumpere potuit in *ciniflo*. Sed Varro novisset. Neque Romani isti incomtis capillis talem ornatum didicerant: et Quintius ille Cincinnatus erat *cincinnatus* natura, non arte calamistratus, datumque illi cognomen ridiculi caussa, ut alia a capite et capillis dabantur, veluti et *Crispus*.

Fac autem, *ciniflonem* esse mere Latinum, haud ita diu ante Horatium vel ab ipso Horatio inventum, et significasse, quod per *cinerarium* significari aiunt Scholiastae, tum profecto longe aptius erat nomen *ciniflonis* quam *cinerarii*, et auctoritas, nisi aliorum, at Horatii, tanta, ut usu fuisset receptum. *Ciniflo* post Horatium in nullo scriptore reperitur. Locus, ubi poneretur, saepe erat valde opportunus in libris Ovidii, Persii, Petronii, Iuvenalis, (praesertim in Satira VI. 480. sq.) Martialis, in Anthologia Latina, in Apologiis Christianorum, mores paganos reprehendentium. Considera mihi annotationem Servii ad Virg. Aen. XII. 100. *crinis Vibratos calido ferro, myrrhaque madentis.* „Crispatos calamistro: nam calamistrum est acus maior quae calefacta adhibita intorquet capillos: unde etiam Cicero pro Sextio VIII. *calamistratam comam* appellat frequenter, quae etiam vituperationi est, unde et contra ad laudem est positum ab Ho-

Altera, nil obstat: Cois tibi paene videre est
Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi:
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis

ratio I. Od. 12. *Hic et incomtis Curium capillis* et Ovidio VI. Fast. 264. *Intonsi regia magna Numae.*" Quis non vero simillimum putet, nomen *Ciniflonis* Servio fuisse incognitum?

Invenitur in Glossis. At Glossarum auctores habuerunt ex Horatio iam corrupto. Illi autem saepe vocabula Horatiana et Virgiliana interpretabantur: recordor, v. c. Philoxenum interpretari *Ennipater.* Ἔννιος πατήρ. recte, credo, iam emendatum *Ennius pater.* Wouwerenus ad l. l. Petronii ex Glossis affert: *Ciniflo.* ἐμπλέκτης: et, Γυναικῶν κοσμητής, recte corrigens *ciniflo.* Exempla quidem Ioannis Salisberiensis et Balbi in Catholico nullum momentum faciunt. Sunt scriptores qui vivebant sub finem saeculi XII et XIII. Digna tamen, quae referantur. Salisberiensis in Nug. Cur. III. 12. „Quod cubicularii, aut ciniflones, nanive, aut quicunque nebulonum, quibus delicatus divitiis sensus aut furor carere non potest." Balbus Catholico: „Ciniflo, qui calamistrum calefacit, scilicet ferrum, quo capilli crispantur. Hic vulgo *crinifer* dicitur."

Ciniflonibus igitur, custodibus, lectica et parasitis eiectis, totum locum sic constituendum arbitror: *Si interdicta petes, vallo circumdata (nam te Hoc facit insanum) multae tibi tum officient res, Ad talos toga demissa, et circumdata palla Plurima, quae invideant pure apparere tibi rem.* Qui *matronas* petit, petit quod interdictum, quod vetitum est, et quasi vallo circumdatum et munitum ab adulteris, ut inclusa illa Danaë in turri aenea. Atque hoc ipsum te facit insanum, quia proprium est naturae humanae in vetitum niti et cupere negata: qui igitur matronas petit, huic multae res officient, quominus de pulchritudine totius corporis iudicare possit. Nihil videt praeter faciem. Toga demissa est ad talos, et omnia fere sunt circumducta palla, quae toga et palla invideant apparere rem in clara luce videndam. In liberta omnia contra.

Altera nil obstat; Cois tibi paene videre est Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi: Metiri possis oculo latus. Alii aliter distinguunt, ut, *Altera nil obstat Cois tibi.* Mihi *Cois* pro *in Cois* non placet, nec *obstat Cois* satis Latine significaret *propter Coas vestes:* nec perspicuum est, utrum *altera* sit nominativus absolutus, an iungendum *altera obstat;* tum quaeritur dicendumne *obstat ne sit,* an *videre est ne sit.* Melior fortasse esset oratio: *Altera? nil obstant Coae tibi; paene videre est Ut nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi. Metiri possis oculo latus. Altera,* interrogative, magis ex ellipsi, quam nominativo absoluto intelligenda. Quid altera? agitne, ut matrona? eodemne modo se vestimentis totam, excepta facie, involvit? Ubi duo subiecta comparantur et alterum alteri opponitur, postremum recte per interrogationem elliptica effertur. Fortasse eadem forma reddenda est Lucano III. 36—46. *Ille* (Pompeius) *maior in arma ruit. — Caesar ut emissas — non illum gloria pulsi Laetificat Magni.* Legam: *Caesar? ut emissas venti rapuere carinas, Absconditque fretum classis, et litore solus Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi Laetificat Magni.* Quaestio de nominativo absoluto latius patet: et multa exempla, quae afferuntur, ita explicari possunt, ut magis rationi conveniant, quam videtur. Perizonius ad Sanctii Minervam

Insidias fieri, pretiumque avellier ante
Quam mercem ostendi? „Leporem venator ut alta
„In nive sectetur, positum sic tangere nolit:“
Cantat, et apponit: „meus est amor huic similis; nam
„Transvolat in medio posita, et fugientia captat.“
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque graves e pectore pelli?
Nonne, cupidinibus statuat natura modum quem,
Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum,

iam sensit. Altera? Est in Cois. Coae nil tibi obstant, nil officiunt oculis tuis. Vides paene ut nudam: vides ne sit crure malo, an sit, nec ne sit. *Ne* in tali dubitatione productum, ut in Calpurnii Eclog. V. 72. *Sed tibi quum vacuas posito velamine costas Denudabit ovis, circumspice, ne sit acuta Forfice laesa cutis.*

Doderlinus distinxit: *altera nil obstat* (*Cois tibi paene videre est Ut nudam*) *ne crure malo, ne sit pede turpi.* Ita *ne* pendet a *nil obstat*, et *sit*, modo praegnanti, idem est, ac *cernatur esse, appareat.* Alioquin, ait, *altera* accipi debet absolute, vel, ut Dillenburgerus interpretatur, *sententiae filum abruptum ex imitatione sermonis quotidiani.* Sed melius est nominativos istos, non nisi ultimum refugium, adhibere. Haec Doderlinus.

Positum sic tangere nolit. Venatur leporem in alta nive fugientem, leporem sic positum, ut positum videt, v. c. in nido iacentem, ut fere manu prehendere possit, interfectu facillimum, non vult tangere. Plaut. Amphit. V. 1. 20. *Quis hic est senex, qui ante aedis nostras sic iacet? numnam hunc percussit Iuppiter? Credo edepol: nam, proh Iuppiter! sepultus est, quasi sit mortuus.* Significatio particulae *sic* est multiplex, semper ex sententia totius loci efficienda. Eadem est ratio Graeci οὕτως, de quo tum certius constitui potest, si participium antecedit. *Sic* et οὕτως per se non pro *temere, negligenter, sine certo consilio*, neque pro εἰκῇ, ὡς ἔτυχεν, ponuntur. Interpretes Joann. IV. 6. meliora docuit Winerus Grammat. p. 702. Ipsi scriptores igitur saepe aliquid explicandi caussa addunt, *sic tenuiter*, οὕτω εἰκῇ, similia.

Doderlinus praefert scripturam Cod. Dessav. *positum si tangere nolit.* Leporem sectatur in nive, quamvis in mensa positum tangere nollet. *Si* pro *etiamsi*, et *positum* pro *appositum* exemplis Horatianis confirmat. Sententiam meam non muto. *Positus lepus* eandem significationem requirit, quam habent *posita in medio.* Horatius utitur eodem verbo, Callimachus diversis, βεβλῆται et ἐν μέσῳ κείμενα.

Quid latura, sibi quid sit dolitura negatum. Optimus interpres mentis Horatianae est Seneca Epist. 119. *Nec illud praecipio, ut aliquid naturae neges: contumax est, non potest vinci, suum poscit: sed ut, quidquid naturam excedit, scias precarium esse, non necessarium. Esurio: edendum est. Utrum hic panis sit plebeius, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. Illa ventrem non delectari vult, sed impleri.* Natura, dicit Horatius, cupidinibus suis modum statuit, et supervacuas sibi negari facile fert: in sq. haereo: dèest enim quid poscat, quod sibi negari non ferat. Fortasse legendum: *Quid latret sibi quo sit dolitura negato.* Quid, quo negato sit dolitura, sibi latret. Hoc igitur est necessarium, et tamquam suum poscit:

Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi quum fauces urit sitis, aurea quaeris
Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? Tument tibi quum inguina, num, si
Ancilla aut verna est praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?
Non ego; namque parabilem amo Venerem facilemque.
Illam: „Post paulo — sed pluris — si exierit vir“
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio neque cunctetur, quum est iussa venire.
Candida rectaque sit; munda hactenus, ut neque longa
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec, ubi supposuit dextrum corpus mihi laevo,
Ilia et Egeria est; do nomen quodlibet illi;
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianua frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet,
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mî.
Discincta tunica fugiendum est, ac pede nudo,
Ne nummi pereant, aut pyga; aut denique fama.
Deprendi miserum est; Fabio vel iudice vincam.

precariis cupidinibus ipsa statuit modum. Satir. I. 1. 75. *adde Quis humana sibi doleat natura negatis. Latret* est Lucretianum II. 17. *Nonne videre est Nil aliud sibi Naturam latrare, nisi* sq.

Illam „Post paullo.“ Nescio an interpretes locum simillimum attulerint Plauti Stich. IV. 1. 43. *Quis istuc dicit? an ille „Quasi tu?“* et mox: *Quis istuc quaeso? an ille „Quasi ego?“* Ibi *Quasi tu* et *quasi ego* sunt personae, ut hic *Post paullo.* Doderlinus verba *post paullo* parenthesin esse putat, quasi adultera suam orationem ipsa interrumpat. Ingeniose.

Deprendi miserum est. Fabio vel iudice vincam. Ni fallor, Latinum est: Deprendi *miserum esse, vincam* Fabio iudice, vel *Deprendi miserum est: Hoc* Fabio iudice *vincam.* Ita legendum: *Fabio hoc vel iudice vincam.* Marklandus iam volebat: *Deprendi miserum, Fabio vel iudice, vincam.* Illi ergo in vulgata scriptura idem displicebat.

SATIRA III.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quidquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret: „Io Bacche!“ modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quatuor ima.
Nil aequale homini fuit illi. Saepe velut qui

SATIRA III.

Usque ad mala citaret: „Io Bacche.“ Fortasse solae syllabae istorum verborum erant, quas ab ovo ad mala, sono variato, voce nunc acuta, nunc gravi, nunc media, qualem in choro coniunctam dicit Seneca Epist. 79. Tigellius continuo cantabat, *iterabat*, ut vere emendavit Bentleius. Tali iteratione plus fastidii movetur, quam totius carminis, quod praeterea, credo, longius erat, quam ut saepius repeteretur. Et Horatius, ut in reprehensione fieri solet, rem exaggerat. Operae hic pretium est audire, quod scripsit Fronto De Orationibus, pag. 251. Fronto, postquam irriserat Lucanum, qui septem primis versibus Pharsaliae nihil aliud quam *bella plus quam civilia* interpretatus est, addit: *Isti autem tam oratores quam poetae consimile faciunt atque citharoedi solent unam aliquam vocalem literam de NONE vel de AEDONE multis et variis accentibus are.* Maius legebat IUNONE et *cantare.* Recordatus annotationis Bentleianae correxisset, ni fallor, *iterare.* Mallem quoque INONE et ADONIDE. Ino et Adonis erant argumenta carminum diversa. Maius unum atque idem ponit Iunonis Aedonem et Polytechnum vexantis. Nec satis intelligo, quomodo *una aliqua vocalis litera* sumi posset ex *Iunone*, cum *Iuno* non efferretur per tres syllabas, ut v. c. *Iulus.* Doderlinus ex emendatione Hirschfelderi edidit *Baccheu!* ut ὦ Βακχεῦ apud Sophoclem.

Saepe velut qui Currebat fugiens hostem. Non puto quemquam bonae Latinitatis studiosum ita fuisse scripturum: saepe *currebat*, velut *qui fugiens* hostem, saepe velut *qui ferret*: sed, saepe *currebat*, velut qui *fugeret*, saepe velut qui *ferret*, vel, *currebat* velut qui *fugiens*, saepe velut qui *ferens.* Horatius potuisset: *saepe velut qui Currebat fugiens hostem, ibat saepe velut qui Sacra ferens Iunonis.* Ita vitasset difficultatem, quae est in *currebat.* Recte enim *currit*, qui hostem fugit, non *currit*, qui sacra Iunonis fert. Ille *incedit*, *ingreditur*, *it*, βαδίζει, unde Ἡραῖον βαδίζειν. Longe aliud est τρέχειν. Plaut. Poenul. III. 1. 19. *Liberos homines per urbem modico magis par est gradu Ire: servuli esse duco festinantem currere.* Fuere, quos illud discrimen non latuerit. Quare ex *currebat* eliciendum et cogitandum putant lento gradu *incedebat*, qui Iunonis sacra portat. Mihi non verosimile videtur, tam contrarium ex antecedenti membro periodi in sequens posse trahi. Divinabam: *Nil aequale homini. Fuit illi saepe, velut qui Curreret aufugiens hostem, persaepe rel-*

Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret: habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo, „Sit mihi mensa tripes, et
Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat.“ Decies centena dedisses
Huic parco, paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. Nil fuit umquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi: „Quid tu?

ut qui Iunonis sacra ferret. Saepe similis erat currenti et hostem aufugienti, persaepe sacra Iunonis ferenti. *Fuit illi*, ut in nota formula *est mihi bene* sim. Propius accedit illud Ovidii Heroid. XX. 122. *Hostibus-Sic sit, ut invalida te solet esse mihi.* Matth. Euang. XII. 45. οὕτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ.

Habebat saepe ducentos, Saepe decem servos. Bentl. coniicit *alebat.* Praeter exempla, quae affert, multa alia sunt. Ipse Horat. Satir. I. VI. 103. *plures calones atque caballi Pascendi.* Et in noto Epigrammate: Σώματα πολλὰ τρέφειν. Tamen *habebat* usitatum quoque in hac re verbum. Appul. in Apolog. p. 428. *Ego adeo, servosne habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambies, neque scio neque laboro.* Idem p. 438. *Quod vivo gracili Lare, quod pauciores habeo, parcius pasco, levius vestio, minus obsono?* Conf. Burm. ad Virg. Georg. I. 3. *qui cultus habendo Sit pecori.* Quum Bentl. in Phaedro III. 3. *habenti cuidam pecora* mutabat in *alenti*, idem Burm. cum bene refutavit.

Nunc aliquis dicat mihi. Multum et diu de vss. 19—54. *Nunc aliquis — iunctos et servat amicos,* deque variis eruditorum hominum in interpretando sententiis cogitavi: quo modo isti versus inter sese cohaererent, deprehendere non potui. Potui aliquantum, si transponuntur et explicantur, ut apponam:

Nunc aliquis dicat mihi: „Quid tu?
Nullane habes vitia?“ Imo alia, haud fortasse minora.
„Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra
Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Maenius absentem Novium cum carperet: „Heus tu,
Quidam ait, „ignoras te, an ut ignotum dare nobis
Verba putas? „Egomet mi ignosco,“ Maenius inquit.
Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari.
Illuc praevertamur, amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae;
At pater ut gnati, sic nos debemus amici,
Si quod sit vitium, non fastidire: strabonem
Appellat Pactum pater, et Pullum, male parvus

Nullane habes vitia?“ — Immo alia, haud fortasse minora.
Maenius absentem Novium quum carperet: „Heus tu,“
Quidam ait, „ignoras te an, ut ignotum dare nobis
Verba putas?“ „Egomet mi ignosco,“ Maenius inquit.
Stultus et inprobus hic amor est dignusque notari.
Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi contra

Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus: hunc Varum, distortis cruribus, illum
Balbutit Scaurum, parvis fultum male talis.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.
Parcius hic vivit? frugi dicatur: ineptus
Et iactantior hic paullo est? concinnus amicis
Postulat ut videatur: at est truculentior atque
Plus aequo liber? simplex fortisque habeatur.
Caldior est? acres inter numeretur, opinor.
Iracundior est paullo? minus aptus acutis
Naribus horum hominum. Rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit et male laxus
In pede calceus haeret? at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore: denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus, sq.

Nunc aliquis dicat mihi. Si, quod ipse fateris, alia vitia habes, et fortasse haud minora, cur illa non vides? Maenium imitari videris, qui sibimet ignoscebat. Sed audi, quid alii Maenio responderint. Ad haec Horatius: Iste amor sui ipsius est stultus. Explicabo, quale iudicium esse oporteat de vitiis amicorum. Primum caveamus, ne in turpibus vitiis simus caeci, multo minus iis delectemur: deinde, ne amicos, propter vitia, haud ita turpia, fastidiamus, sed ea in partem mitiorem interpretemur: denique nos ipsos excutiamus. Sic amicitia constabit.

Haud fortasse minora. Alii *aut*, *at*, *et*, partim ex MSS. partim ex coniectura. *Aut* habent paucissimi Codd. In discrimine tam levi, magis quaerendum puto, quid sententia postulare videatur.

Maenius. Commentator: „Qui de personis Horatianis scripserunt, aiunt: Maenium scurrilitate Romae nobilissimum fuisse. Hic post patrimonium obrosum Calendis Ianuariis in Capitolio clara voce optavit, ut quadraginta nummorum aeris alieni haberet: quaerente quodam, quid sibi vellet, quod tam solemni die aes alienum optaret: Noli mirari, inquit, octoginta habere debeo.“ Gesnerus *habere* delet: et delendum est, aut legendum: *octoginta habeo, i. e. debeo.* Scholiasta *i. e. debeo* addidit explicandi caussa.

Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
Iracundior est paullo, minus aptus acutis
Naribus horum hominum, rideri possit eo, quod
Rusticius tonso toga defluit, et male laxus
In pede calceus haeret; at est bonus, ut melior vir
Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens
Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
Concute, num qua tibi vitiorum inseverit olim
Natura aut etiam consuetudo mala; namque
Neglectis urenda filix innascitur agris.
Illuc praevertamur; amatorem quod amicae
Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
Vellem in amicitia sic erraremus, et isti
Errori nomen virtus posuisset honestum.

Illuc praevertamur. Legendum censeo: *Illuc praevertamus.* Quod turpia amicae vitia amatorem decipiunt, aut etiam delectant, illud vitemus, caveamus. Notio vitandi, cavendi ipsa ex *praevertendo aliquid* profluit. Plinius v. c. Epist. III. 9. *accusationem morte praevertit.* Prius quam accusari posset, se interfecit. Morte adeo voluntaria cavit ne accusaretur, accusationem vitavit.

Vellem in amicitia sic erraremus. Concinnius in eo, quod semper et ubique fieri optamus: *sic erraretur.* Terent. Heaut. I. 1. 102. *Hoc fit, ubi non vere vivitur.* Horat. Carm. II. XVI. 13. *Vivitur parvo bene, cui paternum Splendet in mensa tenui salinum.* Vel potius *ubi paternum.* Impersonalia ista saepe a librariis male in personalia mutantur. Conf. Bentl. ad Horat. Satir. I. IX. 48. afferens quoque Claudiani IV. Cons. Honorii 266. *tum durius irae Consulitur, quum poena patet.* Ibi in aliis MSS. erat *consulimur, consulimus.* Concinnius hic *erraretur* propterea quoque, quia sequitur *virtus nomen posuisset.*

Et isti Errori nomen virtus posuisset honestum. Dictu non facile, quid hic sit *virtus errori ponit honestum nomen.* Interpretes dissentiunt: fuit vel, qui exponeret: virtutis praeceptores ponunt. Quid sententia loci poscat, non obscurum est. Pater errat filium *strabonem* appellans *paetum.* Utinam sic vulgo in amicitia erraretur, et aliquis *vivens parcius* homo *frugi* appellaretur. Sic vitio quasi nomen virtutis daretur. Contra autem facimus. Damus virtutibus nomina inhonesta, eas *invertimus*, appellantes eum, qui *bene sanus ac non incautus est, fictum astutumque.* Horatio dignum esset: *et isti Errori nomen vita imposuisset honestum.* Recte Commentator: „ita fieret, ut error ille potius virtus, quam vitium diceretur.“ *Diceretur*, a nobis, non a virtute: quis ferat *virtus errori dat nomen virtutis?* Horatius *nomen imponere* saepe utitur, ut loco huc inprimis faciente Satir. II. III. 280. *Ex more imponens cognata vocabula rebus.* Ubi Schol. „ex consuetudine vulgari, diversa quidem, sed non multum inter se distantia.“ Consuetudo vulgaris, mos vivendi, agendi, loquendi, uno vocabulo *vita* appellatur. *Vita imponit*

At pater ut gnati, sic nos debemus amici
Si quod sit vitium non fastidire. strabonem
Appellat paetum pater; et pullum, male parvus
Si cui filius est, ut abortivus fuit olim
Sisyphus; hunc varum distortis cruribus, illum
Balbutit scaurum pravis fultum male talis.
Parcius hic vivit? frugi dicatur. Ineptus
Et iactantior hic paullo est? concinnus amicis
Postulat ut videatur. At est truculentior, atque
Plus aequo liber? simplex fortisque habeatur.

nomen, homines qui vixere et nunc vivunt. Sic apud alios scriptores *vita decrevit, agnoscit, desuevit, dubitavit* hoc vel illud facere. Conf. exempla apud Burm. ad Phaedri I. I. Prolog. et Moser. ad Ciceron. de Divin. I. 39. p. 192. Eadem est significatio *saeculi*, ut in noto Taciti Germ. 19. *nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur.* Ita fere *mores* Senec. Epist. 39. *Tunc autem consummata est infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent: et desinet esse remedio locus, ubi, quae fuerant vitia, mores sunt.* Idem *hi homines*, ut mox Horatius: *naribus horum hominum*, et, *inter hoc genus vitae.*

Iracundior est paullo. Adiectiva *parcius, iactantior, truculentior, plus aequo liber*, vitia ostendunt diversa, *caldior* et *iracundior* unum atque idem, hoc quidem in loco. Neque facile explicatur, quare *iracundior* appellaretur minus aptus *naribus acutis* horum hominum. *Nares acutae* sunt hominum acuto ingenio praeditorum, ut *obesae* crasso. Iam homines acuti ingenii iracundos non suspendunt naso, non amare irrident; nam et *iracundi* saepe ipsi sunt naribus acutissimis, et stupidum esse oportet, qui indolem, irasci facillimam, iocis intempestivis irritat. Qui ab ingeniosis irridentur, plerumque sunt *simpliciores*, pauca et singultim loquentes, quos pudor infans multa dicere prohibet, animi inopis et pusilli, qui effari incipientes in media voce resistunt, nec raro utuntur verbis rei praesenti non aptis. Legamus: *Infacundior est paullo? minus aptus acutis Naribus horum hominum.* Infacundior est aliquis? Dicatur non satis aptus ingenio et sagacitati huius saeculi. Qui sagax odoratur, Graece *τὴν ῥῖνα ὀξὺς* dicitur. Descripsi supra *infacundum* verbis fere Horatianis; quorum multis de se ipso usus est. Et hic, credo, se ipsum cogitavit. Talis erat, sibi non parcens. Vide Bentleium, exempla afferentem. Ea hinc uno, *infacundiae*, augentur. Quod Horatius se alibi nominavit *irasci facilem*, hoc nunc expressit in *caldior est.*

At ingenium ingens Inculto latet hoc sub corpore. In nonnullis MSS. *pectore.* Sed opposita sunt *corpus* et *pectus*, ut in Horat. Epist. I. IV. 6. *Non tu corpus eras sine pectore.* Fortasse *incultum* corpus nimium est in homine, qui rideri possit ob togam paullo rusticius defluentem, et calceum laxiorem: elegantior, me iudice, esset versus: *At ingenium ingens In cultu latet hoc sub cortice.* In hoc cultu latet ingens ingenium sub cortice. Ille tamen quamvis ita cultus, celat ingens ingenium sub externa specie. *Cultus* est verbum *ἐκ τῶν μέσων*, ut videbimus ad Satir. II. II. 66. *in neutram partem cultus.* Formula *in cultu* et alii multi

Caldior est? acres inter numeretur. Opinor
Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
At nos virtutes ipsas invertimus atque
Sincerum cupimus vas incrustare. Probus quis
Nobiscum vivit, multum demissus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum,
Quum genus hoc inter vitae versetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina, pro bene sano
Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone? „Molestus,
Communi sensu plane caret," inquimus. Eheu,
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!
Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est
Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequum est,
Quum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce

et Cortius ad Sallust. Catil. 51. 15 explicaverunt. Figurata notio *corticis* apparet ex Varrone apud Nonium III. 61. *Sic invitata matura anima corporeum corticem facile relinquit.* Conf. interpretes ad Lucret. IV. 47.

Caldior est? acres inter numeretur, opinor. In vulgato ordine versuum, *opinor* refertur ad *Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.* At in vetustis edit. *inter numeretur, opinor. Haec res* sq.

Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter obtulerim tibi, Maecenas. Haec et sequentia interpretes variis modis distinxerunt et exposuerunt. Meinekius iungit *impellat quovis sermone*, ut alii, et coniecturam Horkelii *licenter* ita laudat, ut eam recepisse vellet. Horkelius sic explicat: Licenter enim agit is, qui ea sibi licere opinatur, quae non licent. Apitzius legit: *libenti ἀσμένῳ σοι.* Horatius, puto, hoc voluit: *Simplicior quis, et est, qualem me saepe libenter Obtulerim tibi, Maecenas, aut forte legentem Aut tacitum impellit? „quovis sermone molestus, Communi et sensu plane caret." inquimus.* Est aliquis simplicior et talis qualem me saepe libenter tibi, o Maecenas, obtulerim, si auderem, aut forte legentem aut tacitum impellit? Eum nominamus quovis sermone molestum, sensuque communi plane carentem. Horatius inde a vs. 55. *virtutes ipsas invertimus*, illum v. c. qui probus nobiscum vivit, appellantes hominem valde *demissum*, ab eo igitur versu loquitur de qualitatibus animi; quae laudi potius quam vitio duci possunt. Ita *simplicitas* quoque est quaedam virtus, nec illa animi affectio, qua Horatius saepe libenter adversus Maecenatem uti vellet, est vitium. Talis natura, etiamsi interdum ex magno amici studio et amore, amico minus iucunda esse possit, non est mendosa. Doderlinus quoque sic edidit.

Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce Si modo plura mihi bona

Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscet verrucis illius. Aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.
Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
Ut quaeque est, ita suppliciis delicta coercet?

sunt. Dubitatur sitne *cum* praepositio, an adverbium. Si Horatius voluisset praepositionem, scripsisset, credo: *Compenset mea cum vitiis bona.* Herbstius separatae a substantivo praepositionis exempla affert *inter, circum, supra, ex:* praepositionis *cum* ita separatae non vidi. Iam *pluribus hisce* ingratum est, quia antecedit *vitiis*, quo legentes fere inviti referimus neque *hic* semper ad proximum substantivum pertinet. Sententia tamen nos monet, ut *hisce* referamus ad *bona.* At Horatius potuisset totum versum ita concipere, ut nulla obscuritate laboraret: *Compenset mea cum vitiis bona, pluraque sint haec.* In vulgato *pluribus hisce* sunt ablativus absolutus, qui sic explicatur: *cum bona, si bona haec sint plura.* Quid, quaeso, aliud est, quod sequitur *si modo plura mihi bona sunt?* Equidem omnia a librariis valde corrupta puto. Optima certe sententia prodiret, si legeretur: *Cum bona compenset vitiis levioribus, hisce Si modo plura mihi bona sunt.* Cum vitia leviora compenset bonis, si modo bona mea plura sunt, quam talia vitia. *Mea* ex glossa ortum. Non opus erat isto pronomine, quia subiungitur *mihi sunt bona.* PLURIBUS et LEVIORIBUS quam pulum differant, quivis videt. *Leviora* sunt illa *mediocria*, quae Horatius saepe in se agnoscit, ut in Satir. I. IV. 130. *mediocribus, et quis Ignoscas, vitiis teneor — sic dulcis amicis Occurram.* et I. VI. 65. *Si vitiis mediocribus, ac mea paucis Mendosa est natura. Si neque avaritiam, neque sordes, nec mala lustra Obiiciet vere quisquam mihi.* Haec sunt turpia, gravia, alia mediocria, *leviora.* Amicus autem *compensat bona vitiis, vitia bonis*, significat *pensat vitia cum bonis.* Commentator: „amicus verus debet mea vitia pensare cum bonis et virtutibus; et, si plura bona inveniat, ad ea laudanda debet esse propensior, quam ad vituperanda mala, quae sunt pauciora." Ergo iam antiqui interpretes animadverterunt discrimen inter *compensare rem cum re*, et *compensare rem re.* Herbstius urget hoc discrimen, ut defendat *cum* esse praepositionem. Ego auctoritatem Scholiastarum, in huiusmodi quidem rebus, non parvi facio. Accedit locus Ovidii Heroid. III. 51. *Tot tamen amissis te compensavimus unum*, sive, ut Heinsius volebat: *tot tamen amissos te compensavimus uno.* Ovidius alterum utrum scripsisse debuit.

Caeterum verba, trutinae propria, saepe ad comparationem virtutum et vitiorum transferuntur. Liv. Epitom. 80. *Cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit.* Vell. Paterc. II. 12. Marius videtur *bona malis repensasse.* Sueton. Tiber. 21. *Vitiis virtutibusque perpensis, potiores duxisse virtutes.*

Si quis eum servum, patinam qui tollere iussus,
Semesos pisces tepidumque ligurrierit ius,
In cruce suffigat, Labeone insanior inter
Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
Maius peccatum est! Paullum deliquit amicus,
Quod nisi concedas, habeare insuavis, acerbus;
Odisti et fugis, ut Rusonem debitor aeris,
Qui nisi, quum tristes misero venere calendae,
Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
Porrecto iugulo historias captivus ut audit.

Si quis eum servum. Multo melius mihi videtur: *Si quis enim servum.* Legitur quidem in nullo MS. Sed tota orationis forma postulat.

Labeone insanior inter Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque Maius peccatum est! Bentleius corrigit *Labieno.* Gesnerus optime vulgatum defendit. Et Commentator: „Martius Antistius Labeo iurisperitus memoratae libertatis, multa libere contra Caesarem dixisse et fecisse dicitur, ab eo latas leges contumaciter reprehendens: quare in gratiam Augusti eum hic carpit, et insanum nominat.“ In his pro *Martius* legendum *Marcus Antistius,* pro *memoratae* autem *immoderatae.* In Acrone quoque male legitur *memoratae.* Videtur quoque responsa dedisse secundum doctrinam Stoicorum de uno solo peccato. Sed quid *dicatur inter sanos?* Gesnerus comparat Ciceron. pro Rosc. Amerino 12. *Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum.* Iudicando sceleri, quod Horatius exagitat, maior insaniae significatio melius conveniret, si, qui servum ita punivisset, Labeone insanior vel ab *insanis* diceretur. Maior quidem furoris gradus ostendi non poterat. Ita Persius Satir. III. 117. *dicisque facisque quod ipse Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.* Horat. Satir. II. III. 40. *Insanos qui inter vereare insanus haberi.* Iam illa *Quanto hoc furiosius atque Maius peccatum est* omnes, quantum novi, cum sequentibus coniungunt, Cruquius propterea quoque *hoc,* quod in Cod. Bland. delendum esse per subscripta puncta indicatur, delet, et apertam sententiam dicit: multo esse furiosius odisse amicum et fugere, si paullum deliquit, quam servum propter ligurritionem tollere in crucem. Sed Horatius tantam crudelitatem sic ferre non poterat, ut fere excusaret. Haec eo, ni fallor, essent digniora: *Labeone insanior inter Insanos dicat: „Quanto hoc furiosius atque Maius peccatum est!“* Homo vel insanissimus in medio insanorum approbantium conventu diceret: Hoc supplicium longe furiosius est, quam peccatum servi maius est. Quid nos facimus? Si amicus paullum deliquit, eum odimus et fugimus. Idem ergo facimus, leve delictum magna poena afficimus, quasi omnia peccata essent aequalia, et aequales poenas poscerent. *Atque* pro *quam* Horatio frequens. Satir. I. II. 22. *ut non se peius cruciaverit atque hic.* De comparativo post comparativum posito, non est cur dicam. Liv. V. 43. *qui alia bella fortius semper quam felicius gessissent.*

Porrecto iugulo historias, captivus ut, audit. Porrigit iugulum, qui se

Comminxit lectum potus mensave catillum
Evandri manibus tritum deiecit; ob hanc rem,
Aut positum ante mea quia pullum in parte catini

sponte, non resistens, neci offert. Tacit. Annal. XVI. 35. de Thrasea, qui *porrectis utriusque brachii venis cruorem effudit.* Plutarch. de Cicerone 48. ἐσφάγη τὸν τράχηλον ἐκ τοῦ φορείου προτείνας. Ruso, ut Commentator narrat, et foenerator et historiographus ineptus erat. De homine haud dissimili Seneca Epist. 95. *Recitator historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam; et magna parte perlecta: desinam, inquit, si vultis. Acclamatur: recita, recita, ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt.* Locum iam comparaverat Wustemannus.

Euandri manibus tritum. De Euandro interpretes non conveniunt, sitne rex ille antiquissimus, an artifex Horatio aequalis. Bentleius praefert artificem, quia rex erat antiqua paupertate, neque nobilium artificum pocula in supellectili habere potuit. Tum autem catillus hic, quia deiectus frangebatur, sine dubio erat fictilis: at incredibile est, ut vas fictile ab Euandri usque aetate ad Horatii tempora servaretur integrum ac sincerum. Adde, quod figlina opera non *trita* fiunt usu et in manibus habendo, sed metalla tantum. Haec Bentleius. Sed in tali *catillo* non spectatur elegantia, verum antiquitas et rex. Ipse Bentleius hoc agnoscit. Exemplis, quae affert, addi multa possunt, v. c. hoc Horatii Satir. II. III. 21. *quaerere amabam Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere.* Horatius simul irridet stultos rerum istiusmodi antiquarum amatores. Ipse eas non magni faciebat. *Non mihi talium*, dicit in Carminibus, *res est aut animus deliciarum egens.* Quantam autem aetatem ferant vasa fictilia, multa in Musaeis hodiernis testantur, usu quoque trita. Et quid longo usu non teritur? Minime profecto illud mirandum in *catillis* diu et saepe vino madidis. Est apud Martial. XI. 12. epigramma quod nostram opinionem confirmat: *Tolle, puer, calices, tepidique toreumata Nili, Et mihi secura pocula trade manu, Trita patrum labris, et tonso pura ministro; Antiquus mensis restituatur honos.* Si Horatius hic scripsisset *Euandri labris tritum*, nemo de artifice Euandro cogitasset. Sed *manibus tritum*, usu quotidiano tritum, eodem redit. *Pocula* autem in Martiale sunt quoque *fictilia*, quod manus secura, non sollicita ne frangantur, et antiquus mensarum honos, ostendunt.

Denique, si Horatius artificem Euandrum voluisset, scripsisset *manu Euandri*, non *manibus*. Una, certa aliqua statua, pictura, vas, catillus factus est *manu* artificis, et dicitur *artificis manus*, hoc est labor, opus manu illius factum. Cicero Verr. IV. 14. *Cum iste ab aede hydriam, Boëti manu factam, praeclaro opere et grandi pondere per potestatem abstulisset, se sane tristem et conturbatum domum revertisse, quod vas eiusmodi, quod sibi a patre et maioribus esset relictum, quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitis adventum, a se esset ablatum.* Ibid. 18. *Pocula duo quaedam, Mentoris manu, summo artificio, facta.* Doderlinus quoque regem Euandrum ab Horatio respici putat: et discrimen inter *manibus* et *manu tritum* Wustemannus iam animadverterat. Praeter ea cogitemus, quid poëtae, praesertim in Satiris, sibi permittant, quantumque res augeant.

Aut positum ante mea quia pullum in parte catini sustulit esuriens. Simile exemplum in Luciani Conviv. 43. ἡ δὲ ὄρνις ἡ πρὸ τοῦ Ἑρμωνος πιμελεστέρα — ὁ δὲ Ζηνόθεμις τὴν παρ' αὐτῷ

Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si
Prodiderit commissa fide sponsumve negarit?
Quîs paria esse fere placuit peccata, laborant,
Quum ventum ad verum est: sensus moresque repugnant,
Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter
Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus:
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenere: dehinc absistere bello,
Oppida coeperunt munire, et ponere leges,
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.
Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos Venerem incertam rapientes more ferarum
Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
Iura inventa metu iniusti fateare necesse est,
Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum,
Dividit ut bona diversis, fugienda petendis:
Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque,
Qui teneros caules alieni fregerit horti
Et qui nocturnus sacra divûm legerit. Adsit
Regula, peccatis quae poenas irroget aequas,
Ne scutica dignum horribili sectere flagello.

ἀφείς, τὴν πρὸ τοῦ Ἑρμωνος ἀνείλετο πιστέραν οὖσαν.

Minus hoc iucundus amicus Sit mihi. Cur repetit alio vocabulo, quod iam dixerat? *Ob hanc rem* et *hoc* idem est. Si iure offendamur, supra legi potest mutata distinctione *Euandri manibus tritum deiecit ob hanc rem*: deiecit, quia potus, ob ebrietatem, non petulantiam aut malitiam: ergo peccatum facile ignoscendum. Potest quoque: *minus hic iucundus amicus sit mihi*, Commentator: „Ordo est: ob hanc rem minus iucundus amicus sit mihi, quod aut catinum fregit, aut pullum ante me positum sustulit.“ Animadverte et illud *ante me positum*. In eo *me* rectius omisisset. Horatius enim scripsit *positum ante* pro *ante positum*, universe de tota coena; *mea in parte*, est *ante me*, et significat *pullum* ei fuisse destinatum, esse eius *partem*. *Partem* optime illustravit Erhardus ad Petron. 33. *Anteponere*, ut Plaut. Menaechm. II. II. 2. *Bonum anteponam prandium pransoribus.*

Nam ut ferula caedas meritum maiora subire
Verbera, non vereor, quum dicas esse pares res
Furta latrociniis, et magnis parva mineris
Falce recisurum simili te, si tibi regnum
Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
Et sutor bonus et solus formosus et est rex,
Cur optas quod habes? „Non nosti, quid pater“ inquit,
„Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi numquam
Nec soleas fecit; sutor tamen est sapiens.“ Quî?
„Ut, quamvis tacet, Hermogenes cantor tamen atque
Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento artis clausaque taberna,
Tonsor erat, sapiens operis sic optimus omnis
Est opifex, solus sic rex.“ Vellunt tibi barbam
Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coerces,
Urgeris turba circum te stante miserque
Rumperis et latras, magnorum maxime regum!
Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
Rex ibis, neque te quisquam stipator ineptum
Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
Ignoscent, si quid peccaro stultus, amici,
Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
Privatusque magis vivam te rege beatus.

Et magnis parva mineris Falce recisurum simili te, si tibi regnum Permittant homines. Interpretantur *simili*, scilicet ei falci, qua magna reciduntur. Quid, quaeso, refert, qua falce aliquid recidatur, dummodo recidatur, et recidens nihil aliud spectet? Imago optime intelligitur ex *ulcere*. Ulcus *magnum*, insanabile reciditur falce, ense, cultro, *τέμνεται*; *parvum*, sanabile non reciditur, sed curando fit melius. Stoicus noster medicinam aliter facit; insanabile, sanabile, falce recidit, peccata parva magna eodem modo punit. Recte se haberet, *falce una*, eadem, pari, aequali, aequa, ut *Mors aequo pede pulsat tabernas et turres*, non *simili pede*. In huiusmodi exemplis non cogitatur instrumentum, sed res, quae instrumento tangitur. Mors pulsat pede *tam* tabernas *quam* turres. Fortasse legendum: *Et magnis parva mineris Falce recisum iri simul a te, si tibi regnum Permittant homines.* Minaris te parva simul cum magnis falce recisurum. *Cum*, ut post Graeca *ὁμῶς*, *ἅμα* omittitur *σύν*, ita omittitur post *simul*. Vide inter alios Burm. ad Valer. Flacci IV. 88. *Parva simul magnis*, idem atque illud in Epist. II. II. 178. *si metit Orcus Grandia cum parvis.* Notum est, quando agitur de praecepto Stoico *ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα*, Latine hoc dici non *similia*, sed, ut v. c. Cicero in Paradoxo, *aequalia*; et sic Horatius *paria peccata*, in hac ipsa Satira, et *pares res*.

SATIRA IV.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce sequutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles:
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte; nam ut multum, nil moror. Ecce,

SATIRA IV.

Quod malus aut fur. Bentleius defendit *ac fur*, interpretans de eodem homine: *malus ac fur*, pro vafer, astutus, malus ac proinde fur. Enimvero, sive legamus *ac* sive *aut*, illud *malus* orationem impedit, et multo rectius aberat, quia et simplicius est nominare *furem*, ut *moechum, sicarium* et *famosum*. Conieci: *quod planus aut fur*. His aptissime subiunguntur *quod moechus, aut sicarius, aut alioquin famosus*. Bina vitia bina sequuntur. *Planus* est apud Horat. I. Epist. VII. 58. *Nec semel irrisus triviis attollere curat Fracto crure planum*. Ubi Commentator: „erronem, mendacem." Vox quoque corrupta in *vanus*, ut in Iul. Capitol. vita M. Aurelii 13. restituta ex MSS. a Casaub. et Salmasio. Iam Laberius in Mimis usus est. Gellius N. A. XVI.: „quamquam *planum* pro *sycophanta* M. quoque Cicero in oratione scriptum reliquit, quam pro Cluentio dixit." Conf. int. ad Petron. Sat. 82.

Durus componere versus. Omnino melior sententia ex hoc ordine profluere: *Durus componere versus: Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles. Nam fuit hoc vitiosus, in hora saepe ducentos, Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno, Garrulus, atque piger scribendi ferre laborem; Scribendi recte:* Lucilius erat durus in compositione versuum. Propterea fluit lutulentus, et est, quod demere velles. Laborat praesertim compositione. Hoc primarium illius vitium. Caussa, quia multa subito dictabat, continuo garriebat, non ferens laborem, qui postulatur ad recte scribendum. Fluit lutulentus, qui duros versus effundit, quos Lucilio adimere et meliores substituere cuperes.

Nam ut multum, nil moror. Si Lucilius nunc viveret, ait Horat. Satir. I. x. 68. *detereret sibi multa, recideret, caput scaberet, ungues roderet.* Sed Lucilius stans pede in uno, mire festinabat. Talis poëta scribit *multa*, non *multum*. Optimi magistri illud *multum* valde commendant. Cicero de Oratore I. 33. *Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus. Est enim magni laboris, quem plerique fugimus, quam plurimum scribere:* et deinde: *haec sunt quae clamores et admirationes in bonis oratoribus effi-*

Crispinus minimo me provocat: „Accipe, si vis;
Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora,
Custodes; videamus, uter plus scribere possit.“
Dî bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.
At tu conclusas hircinis follibus auras
Usque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Ut mavis, imitare. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine, quum mea nemo

ciunt, neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiam si vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Cicero igitur valde *morabatur* ut quis scriberet *multum*, Horatius *nil morabatur*. Et tamen Ciceronem diligenter legebat, eumque saepe, cum hic, tum in aliis locis, imitatur. Scripsit, ni fallor: *nam ut multa, nihil moror*. Fortasse et Commentator sic vidit: „Non laborat ut recte scriberet, sed ut multa. Quod non nego neque diffiteor facilem (l. *facile*) fuisse, sed non probo.“ Recte *facilem* in scholio Acronis: „Nam in multum scribendo non diffiteor facilem fuisse.“ nempe Lucilium.

Crispinus minimo me provocat. Locus difficilis. Heins. coniiciebat *mimo*. Quod quomodo intelligi vellet, non satis perspicio. Bentleius putabat, cum risu et contemtu et gesticulatione *mimica*. Ipse legit *nummo me provocat*, quasi egenus et mendicus, qui non maiore pignore, quam uno *nummo*, certare voluerit. Quem Horatius sic provocantem describit, ille, credo, de victoria non dubitat, et provocaret potius magna pecuniae summa. Neque Crispinus erat tam egenus, qui vel haberet ianitorem, ut est in Satira II. VII. 95. Horkelius tentat: *numero me provocat*, hoc est versuum numero, non bonitate superiorem fore sperabat. Eleganter, dicerem: et sic Plautus Stich. V. VII. 1. *Qui Ionicus aut cinaedicus, qui hoc tale facere possiet?* *Si istoc me vorsu viceris, alio me provocato.* Sed sperabat, credo, provocator, se versuum quoque bonitate fore superiorem: quod autem coniecturae magis obstat, hoc est: Crispinus dicit: *videamus uter plus scribere possit.* Hinc *numero* supervacuum est. Mihi in mentem venit: *Crispini minimus me provocat.* Filius Crispini, natu minimus. Non vero simile est ipsum patrem Crispinum, adeo philosophiae deditum, quamquam, ut Scholiastae narrant, Philosophiam Stoicam versibus explicaverit, simul tantam rei poëticae operam dedisse, ut poëtam provocare auderet, uter subito plures versus scribere posset. Horatius eum hic irridet in filio, iuventa calido, et spiritum hircinis follibus efflante. Pater omnino erat homo ineptus, qui laudem docti stulte affectaret. Habebat et ianitorem philosophum, et, (ex mea coniectura) filium poëtam, vanum et iactantiae plenum. Genitivi usus in talibus est frequens, ut vel apud Horatium *Noviorum minor*, frater; *Crispinus Crispini* ut *Asdrubal Hamilcaris*. Vide Gronov. ad Liv. XXVIII. 12. et Oudend. ad Sueton. Caesar. 4.

Doderlinus coniecturam Horkelii recepit.

Detur nobis locus, hora. Loquitur more provocantium, cum fiducia. Plutarch. in Mario 25. Baiorix προυκαλεῖτο τὸν Μάριον ἡμέραν ὁρίσαντα καὶ τόπον προελθεῖν καὶ διαγωνίσασθαι περὶ τῆς χώρας.

Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures
Culpari dignos. Quemvis media elige turba;
Aut ab avaritia aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
Vespertina tepet regio: quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, ne quid
Summa deperdat metuens, aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
„Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico:

Aut ab avaritia, aut misera ambitione laborat. Iam in duobus MSS. legebatur *ab avaritia*, quod multi coniectura assecuti sunt. In plurimis *ob avaritiam*. Bentleius scribit casus postulari eosdem, ergo *ab avaritia aut ambitione*, vel *ob avaritiam et ambitionem*. Sed casus per constructionem saepe mutari, et alii, et Oudend. ad Sueton. Vespas. 19. contra Bentl. defenderunt. Iam *laborare ob avaritiam* non dici videtur: neque exemplum *laborare ab avaritia* vidi. Fortasse alicui in mentem veniat *ab avaritia aut miser ambitione*, ut *laborat* absolute positum esset. Sed neque hoc satisfacit, et maxima difficultas non esset sublata. Quis enim *avaritiae* iam nunc locus, quam statim reprehendat? Sententia et sana ratio postulant: *Aut aliquo vitio aut misera ambitione laborat.* Varia genera vitiorum in sequentibus tangit. Ambitionem appellasse uno vocabulo *miseram* satis habuit: neque ipsa sic ad *vitia* refertur.

Stupet Albius aere. Ubique in hac studiorum diversitate nominibus propriis abstinet. Cur hic solum *Albium* nominaret? Hoc propterea quoque suspectum est, quod in eodem carmine vs. 109. filium Albii tamquam *male viventem* culpat. Melius scripsisset: *stupet alter in aere.* Sic Satira I. VI. 17. *Stupet in titulis et imaginibus.*

Dummodo risum Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico. Explicant *sibi* per dativum commodi, hoc est *in suam voluptatem.* Praestabat Rutgersium sequi, in Lect. Venus. XVII. corrigentem: *excutiat tibi.* Ego Horatii puto: *dummodo risum Excutiat, sibi non, nec cuiquam parcet amico.* Homo iste hunc habet morbum, ut semper et ubique risum captet, inque eo non sibi nec cuiquam amico parcat. Aristoteles, iam a Lambino laudatus, IV de Moribus: ὁ δὲ βωμολόχος, ἤττων ἐστὶ τοῦ γελοίου, καὶ οὔτε ἑαυτοῦ οὔτε τῶν ἄλλων ἀπεχόμενος, εἰ γέλωτα ποιήσει. Seneca de Const. Sapientis 17. *Materia petulantibus et per contumeliam urbanis detrahitur, si ultro illam et prior occupes. Nemo aliis risum praebuit, qui ex se coepit. Vatinium hominem natum et ad risum et ad odium, scurram fuisse venustum ac dicacem, memoriae proditum est. In pedes suos ipse plurima dicebat, et in fauces concisas.* Quam Horatius sibi non parcat, vel ex Satira II. III. 301, II. VII. et aliis locis apparet. Atque hoc faciebat imitatus Lucilium, sicuti postea Persius, de quo Suetonius, an Scholiasta, in Vita Persii: *Lecto*

Et quodcumque semel chartis illeverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque
Et pueros et anus.“ Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse poetis,
Excerpam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
Idcirco quidam, comoedia necne poema
Esset, quaesivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. „At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus.“ Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis;

libro Lucilii decimo, vehementer Satiras componere studuit: cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus.

Sermo merus. Per appositionem pendet a *Comoedia.* Cur inferatur *sermo* est *merus?* Plaut. Mostell. III. I. 110. *Ain tu aedes?* tum v. 112. *speculo claras, clarorem merum.*

Quod meretrice nepos insanus amica Filius. Ego *nepotem* sic cum *patre* et *filio* non coniunxissem, si *luxuriosum* significare deberet: scripsissem potius: *quod meretrice, nefas! insanus amica Filius.* Scholium Commentatoris: „*Nepos*, tacita et egregia significatio filii luxuriosi“ pertinet ad filium Pomponii.

Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante Noctem cum facibus. Vulgo accipiunt, quod factum, quae res est magnum dedecus, et verba parenthesi includunt. Vim addes orationi, eamque magis tragicam facies: *Ebrius et magnum quod dedecus ambulet ante Noctem cum facibus.* Pater saevit quod filius ebrius tamquam magnum dedecus ambulet. Filius ipse est *dedecus*, ut *scelus, opprobrium, convicium* Hoc est apud Plautum Mercat. I. I. 54. ubi filius de patre queritur: *Intemperantem, non modestum, iniurium, Trahere, exhaurire me quod quirem abs se domo. — Rationem pessimam esse, ea, quae ipsus optima Omnes labores invenisset perferens, Amoris vi diffunditari ac deteri. Convicium tot me annos iam se pascere.* Non opus erat, ut vel pater, vel, quod multo peius, poëta moneret, quam turpe dedecus ea res esset. Nihil dici poterat languidius.

Numquid Pomponius istis Audiret leviora? Plaut. Bacch. IV. VIII. 70. *Satin' est, si plura ex me audiet hodie mala Quam audivit unquam Clinia et Demetrio?* Horat. Satira II. III. 298. *Dixerit insanum qui me, totidem audiet.*

Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem
Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque, et quod prius ordine verbum est,
Posterius facias, praeponens ultima primis;
Non, ut si solvas: „Postquam Discordia tetra
„Belli ferratos postes portasque refregit“:
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Hactenus haec! alias, iustum sit, necne, poema;
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer
Ambulat et Caprius, rauci male, cumque libellis:
Magnus uterque timor latronibus: at bene si quis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Ut sis tu similis Coeli Byrrhique latronum,
Non ego sum Capri neque Sulci: cur metuas me?
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigellî;
Nec recito cuiquam nisi amicis, idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes:
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. „Laedere gaudes,“
Inquîs, „et hoc studio pravus facis.“ Unde petitum
Hoc in me iacis? est auctor quis denique eorum,
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum;
Qui non defendit alio culpante: solutos
Qui captat risus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non visa potest, commissa tacere

Laedere gaudes, Inquit, et hoc studio pravus facis. Qui *studio* laedit, laedit data opera, prudens laedit, non, ut saepe fit, imprudens. Magis requiritur *et hoc studium pravus facis.* Gaudes laedere, et, natura pravus, *illud laedere* facis studium, fere ut qui medicinam aliasve artes *facit*, quod Gracce dicitur aliquid τέχνην ποιεῖσθαι. Ita Lucianus de Morte Peregr. 18. οὐκ ἠξίου φιλοσοφίαν ὑποδυόμενόν τινα κολάζειν ἐπὶ ῥήμασι, καὶ μάλιστα τέχνην τινὰ τὸ λοιδορεῖσθαι πεποιημένον.

Fingere qui non visa potest, commissa tacere Qui nequit. Poëta refutat obiectum sibi: *laedere gaudes.* Omnes, ait, quibuscum vixi, uno ore

Qui nequit, hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.
Saepe tribus lectis videas coenare quaternos;
E quibus unus amet quavis adspergere cunctos,

testabuntur: Horatius amicum absentem non rodit, contra, alio absentem culpante, defendit, non captat risum damno amici, non potest fingere se vidisse, quod non vidit, nequit tacere commissa. In his *fingere non visa* significatur vitium nimis universale, minusque diserte expressum, quam Horatio se acriter defendenti convenit. Maius aliquod animi falsi scelus desideratur, quam mendacium fingentis non visa. Legamus: *Fingere qui commissa potest*; *commissa tacere Qui nequit.* Hoc demum est vitium re gravissimum, verbis elegantissime declaratum. Qui potest fingere, sibi ab amico commissa esse arcana quaedam, quae ille nunquam commisit, qui non potest tacere arcana, sibi ab amico revera commissa, uterque peccat, ille mendacio omnium fere mendaciorum scelestissimo, hic garrulitate stulta et periculosa.

Doderlinus pro *non visa* scribendum coniicit *non vera.*

E quibus unus amet quavis adspergere cunctos, Praeter eum qui praebet aquam; post, hunc quoque potus. Non intelligo quid sit *qui praebet aquam.* Non potest, credo, significare, *qui praebet coenam.* Porphyrio: „id est, *qui pascit.* Sed videamus an commoda synecdoche sit *aquam praebere* dicere pro pascere.“ Exemplum Satir. II. II. 68. huc non pertinet: ibi enim simplex Naevius convivis *unctam aquam praebet*, quod in eo reprehenditur tamquam indicium lautae simplicitatis. Servi praebent *aquam.* Plaut. Pers. V. II. 14. *Ferte aquam pedibus. Praeben' tu puere?* Illud autem in Carm. III. 19. *quis aquam temperet ignibus Quo praebente domum*, minus etiam huc pertinet. Muretus coniicit *aqua.* Et dici poterat conviva convivas *quavis aqua* adspergere, qui dictis utitur tam frigidis, quam est aqua. Tale erat v. c. illius, de templo Dianae Ephesiae, quod conflagravit, qua nocte natus est Alexander Magnus. Omnis aqua, ad exstinguendum incendium, non erat tam frigida, quam, quod natalis infantis luce flammae istius illustratus esse dicebatur. Et *qui praebet* est *convivator*, alibi apud Horatium *parochus.* Durum tamen *quavis aqua adspergere*; et qui multis videbatur *liber, comis, urbanus*, hic in convivio potius erat *acerbus, nec infacetus*, quam *frigidus.* In tali autem locutione figurata, *quavis* melius abesset: nam in *aqua* vix aliud quam *frigus* cogitari potest. Neque *convivas frigore ferire* erat istius hominis, sed potentioris, Augusti, Maecenatis, qui minores *refrigerant*, magis tamen specie, vultu, habitu, silentio, quam dicto. Locus mihi videtur corruptus. Tentavi emendationem: *E quibus unus amet quaevis adspergere cunctis, Praeter eum, qui praebet, ut aequum: ast hunc quoque potus.* Adspergit *cunctis quaevis* plane ut Epist. I. xv. 30. *Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus.* Suetonius Calig. 29. *Memento omnia mihi in omnes licere.* Male in aliis: *et in omnes.* Potus, ne convivatori quidem parcit, cui parcere *aequum* erat ut sobrius ipse putabat: *ut aequum*, omisso *est:* Satir. I. III. 69. *amicus dulcis, ut aequum, inclinet.* In *praebet* cogitatur *coenare* ex vs. 86. *saepe tribus lectis videas coenare quaternos.* Praebet *coenare*, ut *dat bibere.* Lambino iudice, verbum *praebere* accusandi casum semper desiderat, nec unquam a scriptoribus se vidisse omitti ac subintelligi, dicit. Sed nullum est verbum, in quo substantivum non omittitur ac subintelligitur, modo facile ex sententia deduci possit, ut hic potest. Si

Praeter eum, qui praebet aquam: post hunc quoque potus,
Condita quum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur,
Infesto nigris: ego si risi, quod ineptus
Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum,
Lividus et mordax videor tibi? Mentio si qua
De Capitolini furtis iniecta Petilli
Te coram fuerit, defendas, ut tuus est mos:
„Me Capitolinus convictore usus amicoque
„A puero est, causaque mea permulta rogatus
„Fecit, et incolumis, laetor, quod vivit in urbe;
„Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
„Fugerit.“ Hic nigrae succus loliginis, haec est
Aerugo mera: quod vitium procul afore chartis
Atque animo prius, ut si quid promittere de me
Possum aliud vere, promitto. Liberius si
Dixero quid, si forte iocosius, hoc mihi iuris
Cum venia dabis. Insuevit pater optimus hoc me
Ut fugerem, exemplis vitiorum quàeque notando.

quis, v. c. in Plauto Pers. I. III. 52. *Me ut quisquam norit, nisi ille qui praebet cibum*? omitti posse *cibum*, contenderet, ei minime refragrarer. Nam et multa de apparatu coenae opiparae ante dicta sunt, et parasitus Saturio loquitur, qui verbum *praebet* gestu explicare posset. Terent. Phorm. II. II. 30. *Haec, quum rationem ineas, quam sint suavia et quam cara sint, Ea qui praebet, non tu hunc habeas plane praesentem Deum*? In his quoque *haec* et *ea* abesse poterant.

Quod vitium procul afore chartis Atque animo prius. Declaramus, testamur vitium aliquod animo nostro abesse, nos vitio aliquo non laborare, ac propterea illud non in libris *fore*. Et vitio possumus laborare, at cavere ne in libris conspiciatur. Interpretantur: *prius*, magis animo, quam *chartis;* nam nisi prius animo concepta sit malitia, in chartis non erit, caet. Doeringius ut evitaret duram et molestam verborum collocationem, legebat: *id, si quid*, pro *ut si quid*. Omnia, credo, magis sunt clara et Latina, sic concepta: *Quod vitium procul afore chartis Ex animo prius et, si quid promittere de me Possum, illud vere promitto.* Si quid possum de me promittere, prius ex animo et vere illud promitto, hoc vitium procul a chartis afore. Hoc prius, ante omnia promitto: deinde postulo, ut, si quid liberius dixero, hoc mihi concedas. *Ex animo et vere* promitto, ut Terent. Eunuch. I. II. 95. *Utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres.* Catull. Carm. 106. 3. *Di magni facite, ut vere promittere possit, Atque id sincere dicat, et ex animo!*

Doderlinus per Brachylogiam interpretatur: vere promitto ut quidquam aliud, si quid promittere de me possum.

Quum me hortaretur, parce, frugaliter, atque
Viverem uti contentus eo, quod mî ipse parasset:
„Nonne vides, Albî ut male vivat filius? utque
Barrus inops? magnum documentum, ne patriam rem

Quod mi ipse parasset. Etiam si omnes libri MSS. haberent *parassem*, tamen Horatii *parasset* arbitrarer. Vel vs. 111. *ne patriam rem perdere quis velit*, hoc suadet. Adde Satir. II. III. 178. *Tu cave ne minuas, tu, ne maius facias id Quod satis esse putat pater.* Hinc et illa *res avita* et *paterna*, *rem patris* oblimare, alia. Pater Horatii hic de futuris filii opibus, quas sibi esset paraturus, non cogitat, nec potest, sed eum hortatur ut ne prodigeret, quas ei esset relicturus. Plaut. Merc. I. I. 56. *ea quae ipsus optima Omnes labores invenisset perferens, Amoris vi diffunditari ac deteri.* Lucianus Toxaris 13. ὑπομιμνήσκων ἀεὶ τῶν προγόνων, καὶ φυλάττειν παραγγέλλων, ἃ μετὰ πολλῶν καμάτων ὁ πατὴρ αὐτῷ κτησάμενος κατέλιπεν. Hoc ne Horatius faceret, pater optabat.

Nonne vides, Albi ut male vivat filius, utque Barrus inops? Bentleius coniicit: *Panis inops.* Cur? quia *male vivere* et *inopem* esse unum idemque significant. Sed *male vivere* quoque significat alia, ut *macie esse consumtum*, prae misera tabe *vix vivere*, quod bene de eo diceretur, qui omni genere intemperantiae valetudinem perdidit, et vix ossibus haeret. Lucret. IV. 1160. Ἰσχνὸν ἐρωμένιον *tum fit, cum vivere non quit Prae macie.* Tales appellantur *vix vivi.* Lucilius: *vix vivo homini ac monogrammo.* Ovid. Art. II. 660. *Sit gracilis, macie quae male viva sua est.* His exemplis utitur Salmas. ad Tertull. de Pallio p. 196, qui de Chamaeleonte dixerat: *si pellicula vivit.* Sed *male vivere* significat quoque *infelicem vivere*, ut filius Albi vivere poterat, perdita quidem re patria, sed non ita ad *inopiam* redactus, ut Barrus. Plaut. Rud. I. IV. 1. *Quid mihi melius est, quid magis in rem est, quam corpore vitam secludam? Ita male vivo, atque ita mihi multae in pectore sunt curae exanimales.* Atque ea significatio bene huic loco convenit. Adde, quod multi re *perdita* non tot curis exanimantur, ut male *vivant*, infelices sint. Fuere, qui sapientiores facti, vitam emendarent, qui scurrae fierent, philosophi adeo, ut Damasippus. Hic, omni re fracta, cum se in flumen immittere vellet, admonitione Stertinii barbam pascere coepit, et deinde *bene vixit.* Filius autem Albi calamitatem, sua sibi culpa contractam, minus sapienter ferebat. Erat infelix. Bentleius ita pergit: Horatius in sequentibus unicum cuiusque vitii exemplum ponit, amoris meretricii *Scetanum*, adulterii *Trebonium*, ut incongruum sit prodigentiae bina exempla dari, Albi filium et Barrum. Horatius, ni fallor, duo vitia ponit, *prodigentiam* et *libidinem*, diversos effectus utriusque vitii notat, prodigentiae in Albi filio et Barro, libidinis in Scetano et Trebonio. Filius Albi male vivebat, Barrus vivebat inops, Scetanus turpiter amabat, Trebonius periculose. At *magnum documentum*, ait Bentleius, commode de uno exemplo dicitur: de pluribus *documenta* potius dixisset. *Documentum*, credo, non ad homines, sed ad illud, quod hominibus accidit, refertur. Ita *documentum*, *indicium* saepissime antecedenti plurali subiungitur. Sueton.. Vespas. 1. *Locus etiam in summo monte appellatur Vespasiae, ubi Vespasiorum complura monumenta exstant, magnum indicium splendoris familiae et vetustatis.* Bent-

Perdere quis velit.“ A turpi meretricis amore
Quum deterreret: „Scetani dissimilis sis.“
Ne sequerer moechas, concessa quum Venere uti
Possem: „Deprensi non bella est fama Treboni,“
Aiebat. „sapiens, vitatu quidque petitu
Sit melius, causas reddet tibi: mî satis est, si
Traditum ab antiquis morem servare, tuamque,
Dum custodis eges, vitam famamque tueri
Incolumem possum. Simul ac duraverit aetas
Membra animumque tuum, nabis sine cortice.“ Sic me
Formabat puerum dictis: et sive iubebat,
Ut facerem quid: „Habes auctorem, quo facias hoc“
Unum ex iudicibus selectis obiiciebat;
Sive vetabat: „an hoc inhonestum et inutile factu

leius disputationem sic finit, ut ostendat miram MSS. discordiam, *Barrus*, *Barus*, *Rarus*, *Barius*, *Varus*, *Baius*, quibus, post Bentleium, aliae varietates accesserunt. Ea res mihi facere videtur pro *nomine* proprio, in cuius scriptura, ficti praesertim, Codices raro consentiunt. Et mirarer si pro notissimis verbis *pane* vel *farre* proprium nomen in tot MSS. legeretur, nisi Horatius aliquod posuisset. Pater ei ostendit filium Albii, male viventem, ostendit fortasse et alium filium inopem, qualis erat v. c. *Barii inops*. Est oppidum *Barus* Satir. I. v. 97. Hinc nomen, si non extaret, formare po tuit.

Doderlinus legit: *Nonne vides Albi ut male vivat filius utque Barrus? inops magnum documentum.* Interpretatur *male vivat* tamquam commune praedicatum filii Albii et Barri; et *inops* tamquam subiectum, cuius praedicatum sit *magnum documentum*. Filius Albii esse illi videtur *avarus*, Barrus *prodigus*.

Sapiens vitatu quidque petitu Sit melius, causas reddet tibi. Quum res aliqua *melius* vitatur quam petitur, ea vulgo haud ita in gravioribus vitiis censetur, a quibus pater filium positis ante oculos exemplis deterret. Legendum puto: *sapiens vitandum quidque petendum Sit, melius causas reddet tibi.* Ego satis habeo notare exempla, unde videbis, quid vitare, quid petere debeas. Ita Satir. I. II. 74. *Si tu modo recte Dispensare velis, ac non fugienda petendis Immiscere.* Persius Satir. V. 108. *Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim, Illa prius creta, mox haec carbone notasti?* Caussas et argumenta, cur hoc petere, illud vitare debeas, melius tibi ostendet sapiens aliquis, cuius hoc proprium munus est. Horat. Satir. II. VIII. 32. *quid hoc intersit, ab ipso Audieris melius.* Plaut. Miles Glor. II. 3. 20. *Num tibi Lippus videor? Medicum istuc tibi melius percontarier.* Seneca Epist. 94. *Praecepta dare scienti supervacuum est, nescienti parum. Audire enim debet non tantum quid sibi praecipiatur, sed etiam quare. Qui habet exactum iudicium de fugiendis petendisque, scit, quid sibi faciendum sit, etiam te tacente.*

Doderlinus explicat: sapiens quid vitatu quidque petitu sit melius, *dicet, et cur quidque sit* caussas reddet tibi.

Necne sit, addubites, flagret rumore malo quum
Hic atque ille?“ Avidos vicinum funus ut aegros
Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit;
Sic teneros animos aliena opprobria saepe
Absterrent vitiis. Ex hoc ego, sanus ab illis,
Perniciem quaecunque ferunt, mediocribus et quis
Ignoscas vitiis teneor; fortassis et isthinc
Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
Consilium proprium: neque enim, quum lectulus aut me
Porticus excepit, desum mihi. „Rectius hoc est:
Hoc faciens vivam melius; sic dulcis amicis
Occurram; hoc quidam non belle; numquid ego illi
Imprudens olim faciam simile?“ Haec ego mecum
Compressis agito labris; ubi quid datur oti,
Illudo chartis. Hoc est mediocribus illis
Ex vitiis unum; cui si concedere nolis,
Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
Sit mihi; (nam multo plures sumus), ac veluti te
Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

Flagret rumore malo quum Hic atque ille? Avidos vicinum funus ut aegros Exanimat. Aegrorum haud ita proprium est, ut isto modo *avidi* appellentur. Et satis dictum, eos sibi tum praesertim parcere, hoc est, non tantum in cibi et potus usu, sed etiam in aliis rebus, quae valetudini nocere possint, cum vicino funere admonentur. In multis MSS. non *avidos* sed *vides* legitur. Hinc, puto, optime legemus: *Vide, vicinum funus ut aegros Exanimat.* Imitare aegros, qui praesenti exemplo vicini funeris ab omni intemperantia deterrentur. *Vide*, non vides? ut Seneca de Prov. 2. *Non vides, quanto aliter patres, aliter matres indulgeant?* Latina sunt: *vide, viden' ut exanimat, exanimet:* Conf. Oudend. ad Sueton. August. 68. Sic, ait Horatius, aliena opprobria saepe animos teneros vitiis absterrent; me quidem absterruerunt. Nam sanus ab illis mansi, quae perniciem ferunt.

Nam multo plures sumus. Multi poëtae mihi auxilio venient, nam *multo plures sumus.* Quaeritur *quam qui?* Quam *ego*, non dixeris; *quam cogites*, durum est. Fortasse scribendum: *Nam mille et plures sumus.* Numerus nemini displicebit, sive quasi in coniuratis, ut Scaevola apud Liv. II. 12. dicebat Porsenae, *trecenti coniuravimus:* sive in morem proverbii, quando talia augentur, ut *centies, millies.* Primi Christiani dicerent: Nam legio et plures sumus, ut in Euang. Marci V. 9. Λεγεὼν ὄνομά μοι ὅτι πολλοί ἐσμεν. Matth. XXVI. 53. ἢ δοκεῖς ὅτι οὐ δύναμαι ἄρτι παρακαλέσαι τὸν πατέρα μου, καὶ παραστήσει μοι πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων;

SATIRA V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico: rhetor comes Heliodorus,
Graecorum longe doctissimus. Inde forum Appî,
Differtum nautis, cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum. Minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, coenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et coelo diffundere signa parabat.
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere: „Huc appelle! Trecentos inseris! Ohe
Iam satis est!“ Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora: mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos; absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim. Tandem fessus dormire viator
Incipit, ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat, stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil quum procedere lintrem
Sentimus, donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat; quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Millia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus atque

SATIRA V.

Coenantes haud animo aequo Exspectans comites. Erat unus *comes* Heliodorus. Suntne comites, qui in eadem navi Fanum Feroniae proficisci cogitabant? Servos quidem haud diu animo iniquo exspectasset: *exspectare* enim significat identidem prospicere, an venirent. v. Ruhnk. ad Sueton. Calig. 50. Horatius minus obscure scripsisset: *coenantemque haud animo aequo Exspecto comitem.*

Absentem ut cantat amicam. In multis MSS. legitur: *absentem cantat amicam.* Hoc ego melius esse iudico. Oratio per asyndeta celerius procedit.

Doderlinus idem censet, atque edidit *absentem cantat amicum.*

Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere. Interea Maecenas advenit atque
Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antonî, non ut magis alter, amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima; namque
Plotius et Varius Sinuessae Virgiliusque
Occurrunt, animae, quales neque candidiores
Terra tulit, neque quîs me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula tectum
Praebuit, et parochi, quae debent, ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas; dormitum ego Virgiliusque:
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Cocceii recipit plenissima villa,
Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
Sarmenti scurrae pugnam Messîque Cicirri,
Musa velim memores; et quo patre natus uterque
Contulerit lites. Messî clarum genus Osci;
Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti
Ad pugnam venere. Prior Sarmentus: „Equi te
Esse feri similem, dico.“ Ridemus: et ipse
Messius: „Accipio;“ caput et movet. „O, tua cornu
Ni foret exsecto frons,“ inquit, „quid faceres, quum
Sic mutilus miniteris?“ At illi foeda cicatrix
Setosam laevi frontem turpaverat oris.

O, tua cornu Ni foret exsecto frons. Magis, puto, Latinum; *O, tibi cornu Ni foret exsecto frons.*

At illi foeda cicatrix Setosam laevi frontem turpaverat oris. Locus difficilis. Apitzius coniicit: *ora*, id est *in margine*. Horkelius: *orbe*. Opponit *laevem orbem* fronti *setosae*. Cicatrix

Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
Multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam
Ex voto Laribus, quaerebat: scriba quod esset,
Deterius nihilo dominae ius esse. Rogabat
Denique, cur umquam fugisset, cui satis una
Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo?
Prorsus iucunde coenam produximus illam.
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni:
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos coenam servosque timentes
Tum rapere atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Appulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrymoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino.
Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
Ad mediam noctem exspecto. Somnus tamen aufert
Intentum Veneri: tum immundo somnia visu
Nocturnam vestem maculant ventremque supinum.
Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis,
Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,

in media fronte inter ipsos crines macula rotunda, crinibus nuda. Ego coniiciebam: *Setosam clypei frontem turpaverat orbe.* Recte *orbis clypei*, ut Virgil. Aen. II. 227. *clypeique sub orbe teguntur.* Cicirrus autem similis erat Cyclopi. Ideo mox rogatur ut *saltaret Cyclopa*, neque opus esse larva et cothurnis. Similitudo praesertim, nisi unice, spectabatur in setosa fronte, et cicatrice rotunda, instar oculi in fronte conspicui. Talem vultum poëtae in Cyclopibus describunt. Callim. H. Dian. 53. *ὑπ' ὀφρῦν Φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ Δεινὸν ὑπογλαύσσοντα*; et ante Callimachum Hesiod. in Theog. *Μοῦνος δ' ὀφθαλμὸς μέσσῳ δ' ἐπέκειτο προσώπῳ.* Virg. III. Aen. 635. *telo lumen terebramus acuto Ingens, quod torva solum sub fronte latebat, Argolici clypei aut Phoebeae lampadis instar.* Ubi recte Donatus: *latebat*, capillis tegebatur. Ovid. Metam. XIII. 851. Cyclops de se loquitur: *Barba viros, hirtaeque decent in corpore setae. Unum est in media lumen mihi fronte, sed instar Ingentis clypei.* Exempla ista erant cognita, sed adscribenda putavi, ut coniectura mea verosimilior appareret.

Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat humeris portare viator:
Nam Canusî lapidosus; aquae non ditior urna:
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hic Varius discedit moestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus; utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi: dehinc Gnatia lymphis

Qui locus a forti Diomede est conditus olim. Bentleius versum, tamquam spurium eiicit, ea praecipue de caussa, quia *locum condere* ei ne Latinum quidem videbatur. Prudenter tamen addit, se non meminisse, quemquam sic esse locutum. Doeringius hanc rationem habet gravissimam, altera Bentleiana graviorem, qua permotus ineptum arbitratur, quod conditor Canusii hic more Geographorum nominaretur. Et hoc ego ineptum puto. Neque versus ita positus apte referri potest ad illud oppidulum, et tamen referri debet. Quod ad *locum condere* pro *colonos in locum deducere, locum urbe instruere*, multis saepe intolerabile visum, ut Graecum κτίζειν νήσους sim. post Salmas. ad Tertull. de Pallio p. 170. illustrarunt Vossius ad Pompon. Melam. I. 18. Boecler. ad Vell. Paterc. I. 3. et Oudend. ad Appul. Metam. p. 311. Propterea igitur non erat, cur Bentleius versum eiiceret. Et servare malim, ideo, quia ad oppiduli nomen signis perfacile indicandum, non sufficit dicere, panem in eo esse longe pulcherrimum et aquam vendi; quamvis ex mentione Canusii intelligatur, fuisse Canusio vicinum. Omnia recte procederent, si Horatius scripsisset: *Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est, Signis perfacile est: locus a forti Diomede Conditus est olim; venit vilissima rerum Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra Callidus ut soleat humeris portare viator. Nam Canusi lapidosus; aquae nec ditius urna.* Horatius ea nocte mansit Aequotutii. Pergere potuisset Canusium, ibique manere. Sed panis ibi erat lapidosus; neque aqua copiosior, quam Aequotutii. Canusium non erat ditius *urna aquae. Urna aquae* ut alibi *urna liquidi.* Horatius postero die sic praeteriit Canusium, et recta contendit Rubos.

Bari moenia piscosi, dehinc Gnatia lymphis. Bentleius ex MSS. *dein*, ut evitaretur concursus quatuor consonantium. Sed quid *Gnatia*? Ubi legitur pro *Egnatia*, praeterquam in itinerario Antonini? Aphaeresis, qua pronuntiatur *Gnatia* pro *Egnatia*, videtur orta ex consuetudine vulgi, nec scio an, ut a recentioribus, sic ab antiquis scriptoribus in libros translata. De ista consuetudine, qua et *Spania* pro *Hispania* dicebatur, praeter alios, egit Munckerus ad Fulgentii Mythol. III. p. 121. Horatium ab usu communi recessisse minus verosimile est, quia facile posuisset: *Bari moenia piscosi; hinc Egnatia lymphis.* Sic et concursus consonantium vitatur. Si *Gnatia* scripserit, fortasse fecit, ut incolas, quasi male Latine loquentes, irrideret. Tale exemplum est in Plauti Trucul. III. II. 21. *Perii! rabonem? quam esse dicam hanc belluam? Quin tu arrhabonem dicis?* respondet alter: *Ar*

Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,
Non ego; namque deos didici securum agere aevum,
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto coeli demittere tecto.
Brundusium longae finis chartaeque viaeque est.

facio lucri: ut Praenestinis conia est ciconia. Ibi legitur annotatio Meursii: „Taxat Praenestinos, ut male Latinos. Talia sunt *Syria* pro *Assyria*, *Spania* pro *Hispania*, ut discimus ex Capella et Glossario, *striculus* Arnobio, *histriculus* Tertulliano."

Lymphis iratis. Scribendum puto *Nymphis.* Vocabula *lymphae* et *Nymphae* ubique confunduntur. v. Bentleium ad Horat. Carm. III. XIII. 15. Markland. ad Statii Silv. I. III. 65. In iudicanda vera scriptura considerandum, utra rei propositae magis conveniat. Hic magis convenit *Nymphis iratis constructa Egnatia*, hoc est, Nymphis Deabus iratis, ut in nota formula *natus Dis iratis.*

Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella. Apelles Ἀπελλῆς, Apella, nomen Iudaei, de quo, quod dici poterat, dictum est ab interpretibus ad Epist. Paulli ad Roman. XVI. 10. Iam omnes Iudaei a Romanis habebantur et dicebantur superstitiosi, ut mirum sit, unum prae caeteris omnibus sic nominari, ut proverbium factus sit, veluti *Iro pauperior*, ita *Apella superstitiosior.* Et unde, quaeso, isti *risus et ioci*, nisi ex adspectu rei alicuius vel hominis ridiculo? Sic Satir. I. VIII. 50. postquam Priapus pepederat, quantum displosa vesica sonaret, veneficas fugam capessere *cum magno risu iocoque* videbat, dum Canidiae dentes, Saganae caliendrum, herbae et vincula excidebant, et Carm. IV. XIII. 25. de Lyce, vetula cornice: *Possent ut iuvenes visere fervidi Multo non sine risu Delapsam in cineres facem.* Ubi tale aliquid in Egnatia, quod Horatio et comitibus *dedit risusque iocosque?* Egnatia cupit persuadere verum esse miraculum, Horatius non credit, quia didicerat Deos non curare, si natura quid miri faceret. Sic fidem simpliciter negabat. Iam Egnatia est omnis, tota Egnatia. Unde tam subito tanta multitudo confluxit, quae Horatio persuadere cuperet? Melius certe erat *Egnatia credit*, ut in Epod. V. 48. *Et otiosa credidit Neapolis Et omne vicinum oppidum.*

Horatium scripsisse puto: *Persuadere cupit credas Iudaeus Apella.* In oppido Egnatiae habitabat Iudaeus nomine *Apella.* Hic peregrinis saxum monstrabat, in quo tus identidem sine flamma liquescebat. Saxum fere sacrum haberi, praesertim a Iudaeis, qui simile quoddam miraculum in antiqua religione Mosaica venerabantur, non est, quod miremur. Et quis novit, an non saxo isti vicina steterit proseucha? Iam pauper Apella, enarratoris, ἐξηγητοῦ, munere fungens, stipem merebatur. Ille peregrinis ante omnia saxum ostendebat. Senex mendicus, pannis obsitus, ardore genti suae proprio, inter multas gesticulationes Graece et Latine balbutiens, Horatio persuadere cupit, ut credat, verum esse, quod de saxo narrabatur. Talem Iudaeum non sine risu et ioco videre et audire poterant. Quin ipsum nomen *Apellae* in Iudaeo, quasi *sine pelle*, Romanis occasionem ridendi et iocandi praebebat.

SATIRA VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruscos
Incoluit fines, nemo generosior est te,
Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
Olim qui magnis regionibus imperitarent,
Ut plerique solent, naso suspendis adunco
Ignotos, ut me libertino patre natum.
Quum referre negas, quali sit quisque parente
Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi vere,
Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum

SATIRA VI.

Olim qui magnis legionibus imperitarent. In paucis MSS. *regionibus*, quod nonnulli quoque interpretes coniecerant. Sed *imperitare* magis proprium *legionibus*, iisque, ut *exercitibus imperare*, tamquam proverbio dicitur de insigni honore et potestate. Seneca Epist. 86. *animum quidem eius* (Scipionis) *in coelum, ex quo erat, rediisse persuadeo mihi; non quia magnos exercitus duxit, hos enim et Cambyses furiosus ac furore feliciter usus, habuit; sed ob egregiam moderationem pietatemque.* Erant, ut notum, duodecim Lucumones, reges duodecim regionum. Unus Lucumo praeerat praesertim in bello; tunc enim potestas illius magis conspiciebatur. Praeerat *magnis legionibus*, coniunctis exercitibus, quos duodecim *regiones* illius imperio committebant. Res domesticas singuli Lucumones curabant. Res, puto, fere similis nostrae, quum Principes Arausiaci iure haereditario omnes Provincias complectebantur.

Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum. Potestas et *regnum* hic non differunt. Fuerit Tullus et apud regem et patres et plebem in magno honore, *potestatem* ante *regnum* non habuit. Commentator *potestatem* interpretatur *regnum*. Alterum utrum, credo, sufficiebat ad enuntiandum illud: Ante Tullum, regem ignobili genere. Sed *ignobile regnum Tulli* significat, rem Romanam Tullo regnante nec floruisse, neque ulla rerum a rege vel populo gestarum fama, neque institutorum laude fuisse illustrem. Livius autem narrat I. 31. *devictis Sabinis in magna gloria magnisque opibus regnum Tulli et totam rem Romanam fuisse.* Regnum adeo erat *nobile*, quamquam Tullus *ignobilis*, ut v. c. Sosthenes ille apud Iustin. XXIV. 6. *qui ob virtutis beneficia multis nobilibus regnum Macedoniae affectantibus ignobilis ipse praeponitur.* Haud magis Latinum videtur *regnum ignobile Tulli*, quam si v. c. diceres *Consulatus ignobilis Tullii Ciceronis.* Coniicio: *Ante potestatem Tulli atque ignobilis Anci.* Horatius Tullum et Ancum exempli caussa coniungit Carm. IV. VII. 15. quo *dives Tullus et Ancus.* Epist. I. VI. 27. *Numa et Ancus.* Lucret. III. 1038. *Lumina suis oculis etiam bonus Ancu' reliquit.* Poëta ipse libertino patre natus, amabat tales reges, nullis maioribus ortos. Erant autem et Tullus et Ancus *ignobiles.* Ancus vulgo nominatur *nepos Numae*, pater erat *nullus*, Tullus habebat matrem *servam.* Conf. Duker. ad Florum p. 45. et 55. Arntzen. ad Aurel. Victor. p. 71. Cicero de Rep. ait duos

Multos saepe viros nullis maioribus ortos
Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos;
Contra Laevinum, Valerî genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
Non umquam pretio pluris licuisse, notante
Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
Nos facere, a vulgo longe longeque remotos?
Namque esto, populus Laevino mallet honorem

Romanorum reges fuisse, quorum alter *patrem non habet*, alter *matrem*. Horatius vs. 36. eosdem reges cogitat: *Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus*. Quanto igitur nobilior Maecenas, cui iam *avus maternus atque paternus* fuerint nobiles!

Unde Superbus Tarquinius regno pulsus fugit. Ita Bentleius ex MSS. cum vulgo ederetur *fuit*, quod erat in aliis MSS. Credebat hoc solum librarios impulisse ad locum corrumpendum, quia *fugit* praeterito tempore et priore syllaba producta, vi sententiae hic requiri arbitrarentur. Sed exempla, quibus probare studet, praeteritum tempus minime requiri, nihil probant. Primum affert ex auctore carminis in Obitum Maecenatis vs. 25. *Sic illi vixere, quibus fuit aurea Virgo: Quae bene praecinctos postmodo pulsa fugit.* Ego in caussa Latinitatis non utar auctoritate poëtae, qualis iste fuit, plane inepti. Vel hoc ipsum distichon indicio est. Quis enim probabilem sententiam inde eliciat? Scripsisset saltem; *quibus adfuit aurea Virgo.* At quid miri, si pulsa a bene praecinctis, postea eos *fugit*? Non, puto, conaretur redire, ut pulsi Tarquinii conabantur. Neque *aurea Virgo*, si sit Astrea, pulsa fuit, sed sponte sua terras scleribus imbutas reliquit. Alia exempla, *pulsa fugit, pulsus abi, pulsus cessit*, etiam minus apta sunt defendendo tempori praesenti. Nam in illis narratur quod semel et ipso illo momento accidit: hic quod ante saecula accidit, atque adeo exprimitur per tempus praeteritum, ut in Virgilio: *Fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea;* et in Catalectis: *Cuius et ob raptum pulsi liquere Penates Tarquinii patrios filius atque pater.* Ubi non Latinum esset *cedere* nec *linquunt*, etiamsi *cedere* tempus imperfectum complecti videretur. In oratione prosa discrimen per constructionem cernitur. Lactantius: *Nimirum senex* (Saturnus) *a iuvene facile victus est, ac spoliatus imperio. Fugit igitur expulsus, et in Italiam navigio venit. Censetne aliquis Deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit?* Ita in Horatio postulatur *fugit*, priore producta. Librarius, credo, sensit, sed metro obstare intelligens, mutavit in *fuit*. Hoc non fecisset, si melius exemplar ante oculos habuisset, in quo legeretur: *unde Superbus Tarquinius fugit pulsus regno.* Verba in scriptis Horatianis centies male transposita inveniuntur, praesertim in Satiris: conf. Bentl. ad II. v. 59. II. vi. 29. nec minus in Epistolis, ante omnes in Epistola ad Pisones.

Namque esto. Sententia est: Populus, alias saepe malus iudex, negat honores nobili, qui non meretur. Nos, populo sapientiores, illud iudicium laudare debemus. Nam fac, eundem po-

Quam Decio mandare novo, censorque moveret
Appius, ingenuo si non essem patre natus:
Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.
Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tilli,
Sumere depositum clavum fieriqûe tribuno?
Invidia accrevit, privato quae minor esset.
Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo: „Quis homo hic?“ et: „Quo patre natus?“
Ut si qui aegrotet quo morbo Barrus, haberi
Ut cupiat formosus, eat quacumque, puellis
Iniiciat curam quaerendi singula, quali
Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
Sic qui promittit, cives, urbem sibi curae,
Imperium fore et Italiam et delubra deorum;
Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
Omnes mortales curare et quaerere cogit.
„Tune, Syri, Damae, aut Dionysî filius, audes
Deiicere e saxo cives, aut tradere Cadmo?“

pulum honores dare nobili non merenti, fac me, ignobilem a censore moveri: vel *merito* moverer, quia non in mea pelle quievissem. Obscura sententia. Scio *nam* saepe vim habere connectendae orationis, vide v. c. Duker. ad Flori Proöem. p. 4. hic tamen melius puto *Iamque esto*. Pone contrarium. Iam fac, populum nolle honores dare Decio novo, et Appium movere aliquem, me verbi caussa, si non ingenuo patre natus essem: quid tum iudicaremus? Quod ad me attinet, recte Appius fecisset, vel propterea, quod non intra fortunam mansissem, ut tu, o Maecenas, manere cupis vel *infra* fortunam tuam. Horatius de se nunc proprie non loquitur, idque in vs. 45 significat: *nunc ad me redeo, libertino patre natum*. Scribere potuisset: *censorque moveret Appius, ingenuo qui non esset patre natus; Vel merito, quoniam in propria non pelle quiesset*. Sed amat sibi non parcere.

Doderlinus ante hunc versum versum excidisse coniicit, qui responderet antecedenti: v. c. *Vivere perpetuo longe longeque remotos*. Oratio sic quoque melius connecteretur. Et credibile est in Satiris versus nonnullos excidisse, ut alios transpositos, alios adiectos.

Quo tibi, Tilli. Bentleius recte praetulit alteri scripturae *Tulli*. Nomina ista saepe permutantur. Vide et Oudend. ad Sueton. Caesar. 82.

Ut si qui aegrotet. Facilius putem: *Ut si qui aegrotat*, et mox *iniiciet* et *coget*. Ut si quis aegrotat morbo Barri, quacunque eat, iniiciet curam, sic, si quis promittit, coget.

Deiicere e saxo cives aut tradere Cadmo. Commentator: „nam capite damnati de saxo Tarpeio praecipitabantur, de quo raditur praecipitatus et

At Novius collega gradu post me sedet uno;
Namque est ille, pater quod erat meus. „Hoc tibi Paullus
Et Messala videris? „At hic, si plostra ducenta,
Concurrantque foro tria funera magna, sonabit
Cornua quod vincatque tubas; saltem tenet hoc nos.“
Nunc ad me redeo libertino patre natum,
Quem rodunt omnes libertino patre natum:
Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor, at olim,
Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
Dissimile hoc illi est; quia non, ut forsit honorem
Iure mihi invideat quivis, ita te quoque amicum,
Praesertim cautum dignos adsumere, prava
Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
Me possim, casu quod te sortitus amicum.
Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
Virgilius, post hunc Varius dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca loquutus,

deiectus Iugurtha.“ Sic nempe Grammatici credebant, unde in vetustis ed. Sallustii: *Si cupis ignotum Iugurthae noscere letum: Tarpeiae rupis pulsus ad ima venit.* Vide Cort. ad Iugurt. 114. *Cadmus* fuisse dicitur *carnifex.* Carnifex idem erat custos carceris: unde Plaut. Rud. III. VI. 19. *hunc qui ad carnificem traderent.* Quod hic obiicitur homini novo, idem Ciceroni ab inimicis obiiciebatur, qui talia ausus esset in civibus nobilibus. Cicero apud Plutarch. 22. Lentulum *παρέδωκε τῷ δημίῳ καὶ προσέταξεν ἀνελεῖν, tradidit carnifici.* Nota formula in re tali, reddenda fortasse Velleio Paterc. II. 91. Rufus Egnatius, Senator, Augustum interimere statuerat, ut alii ante eum, *publica auctoritate oppressi. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit: abditusque carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vita sua obiit.* Coniicio Velleium scripsisse: *traditusque carnifici.* Qui publica auctoritate oppressi condemnantur, hos *carceri abditos* quasi clam e medio tolli, non dicimus.

Concurrantque foro tria funera magna sonabit Cornua quod vincatque tubas. Acro annotavit: „Aut *magna cornua*, aut *magna funera*, aut *magna sonabit*, pro *magne*, ut Virg. *infanda furentem.*“ Optimum procul dubio est *magna funera.* Herbstius qui viderat iungenda esse *magna funera*, recte animadvertit, in funeribus non amplis non cornua modo, sed ne tubas quidem adhiberi; *quod cornua vincat* sufficere, supervacuum adeo esse *magna sonabit*, et bene comparat Satir. I. IX. 25. *invideat quod et Hermogenes ego canto.* Funera dicuntur *magna*, puto, quae insigni pompa et sumtu celebrantur, fere ut *ludi magni*, quia, secundum Asconium Pedianum, magnis impensis dabantur.

Doderlinus quoque *funera magna* laudat, et contra Kirchnerum tuetur, cui displicebat praecipue, quod *funeris magni* nullum exemplum inveniretur; ostendens *ampla funera, publica, censoria* inveniri: cur improbemus *magna*? Neque ego hic exemplum eiusdem vocis requiri arbitror.

Infans namque pudor prohibebat plura profari,
Non ego me claro natum patre, non ego circum
Me Satureiano vectari rura caballo,
Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuus est mos,
Pauca; abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro.
Atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis
Mendosa est natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes aut mala lustra
Obiiciet vere quisquam mihi, purus et insons,
Ut me collaudem, si et vivo carus amicis,
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavî ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
Ibant octonis referentes idibus aera,
Sed puerum est ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quivis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes,
In magno ut populo, si qui vidisset, avita

Egregio inspersos reprendas corpore naevos. Exspectaveram *deprendas*. Natura mea est vitiosa paucis et mediocribus vitiis, similis egregio corpori, in quo naevi deprehenduntur, excusandi potius, quam reprehendendi, ut in carmine: Horat. Epist. ad Pison. 351. *Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendar maculis.* Si in iudicando volumus esse severi, nihil est, in quo non aliquid reprehendas. Satir. I. x. 52. sq. *Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?* Iudicio autem severo et reprehensioni hic non est locus. Esset iniusta. Commentator: „Confert vitam suam egregiae et formosae faciei naevis adspersae: nam ut nulla forma est, quae naevis omnibus caret, ita nemo non in aliquo vitio est constitutus, sed frequenter, cui ignosci possit.“ Marklandus quoque coniecerat *deprehendas*: cur eum *indocte* coniecisse dicat Kirchnerus, non intelligo. Caussa non est, credo, in *deprehendas* pro *deprendas:* nam *deprehendas* pronuntiatur tamquam *deprendas*, quod vir doctissimus non ignorabat.

Ut me collaudem. Si pater caussa fuit, Horatium paucis et mediocribus tantum vitiis laborasse, si omnis laus patri debebatur, quomodo *se collaudare* potuit? Nonne potius legendum: *Ne me collaudem.*

In magno ut populo. Lambinus iungebat: ut, si quis in *magno populo*

Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,
Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor

vidisset; Bentleius, *si qui*, (ita legit ex MSS. pro *quis*) *ut in magno populo*, vidisset. Laudat deinde Ovidiana: *Si quis, ut in populo, nostri non immemor illic.* Sulpicii Severi I. 89. *Ninive alens virorum millia centum et viginti, atque, ut in magno populo, abundans vitiis.* Plura huiusmodi iuvenias apud Heins. et Burm. ad Ovid. Trist. I. 1. et ubique. Duo exempla apud Heinsium excipio, quae corrupta sunt. Quaeritur quid significet *ut in populo*. Significat *respectu populi, pro conditione populi, ut fit, fieri solet, aliter fieri non potest in populo:* adde *magno*, est *in populo magnae multitudinis*, illustri et potenti, ut Plaut. Trucul. I. 1. 55. de Romanis cogitans, utrumque hoc coniunxisse videtur: *in magno populo, in multis hominibus.* Locus Horatii adeo explicandus est: si qui vidisset vestem servosque sequentes, ut servi sequuntur puerum in magno populo, vel, si quis vestem et servos vidisset, ut fit in magno populo, qui talia observat. Neutrum satis perspicuum videtur. Baxterus *populum* de *republica* accipit, Gesnerus interpretatur: „in magna, qualis Romae esse solet hominum turba, se tamen conspicuum fuisse." Sed vestes et servi sequentes puerorum nobilium quotidie conspici poterant. Singulari quidem splendore et insigni cultu, insolitum servorum comitatum esse oportuit, si puer Horatius ora huc et illuc commeantium in se verteret. Tam dives et pecuniae negligens pater libertinus non erat. Omitto alias aliorum interpretationes. Fortasse legendum: *in magno ut puero.* Si quis vidisset vestem et servos sequentes, ut magni pueri vestiuntur cosque servi sequuntur honoris et securitatis caussa, diceret, me ex re avita sic haberi, nec cogitaret esse filium libertini, haud ita divitis.

Doderlinus interpretatur: Venusiae, parvo oppidulo, omnes me et patrem norunt, Romae, magna urbe, nemo me novit, nemo patrem meum, qui me, quasi esset paedagogus aut capsarius, sequitur: qui me vident inter magnos pueros, eorumque vestem et comitatum contemplantur, me eiusdem conditionis esse credunt.

Ipse mihi custos incorruptissimus. Commentator: „Hoc in eos dictum est, qui interdum, ut luxurientur pueri, donis student corrumpere suos paedagogos." Longe melius, quod Horatius voluit, sic exprimeretur: *Ipse mihi custos incorrupto optimus.* Quo sensu *incorruptus* accipiendum sit, apparet ex sq. *pudicum servavit.* Horatius in scholas veniebat incorruptus, incorruptus exibat. Quantum periculum saepe in ludis literariis pudicitiae immineret, discimus ex Iuvenale, Petronio, auctore de Caussis corruptae Eloquentiae, aliis. Res optime illustratur ex Suetonio de Illustr. Grammat. 23. *Remmius Palaemon herilem filium dum comitatur in scholas, literas didicit: postea manumissus, docuit Romae, ac principem locum inter Grammaticos tenuit, quamquam infamis omnibus vitiis, palamque Tiberio et mox Claudio praedicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel iuvenum committendam.*

Mercedes sequerer; neque ego essem questus; at hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me poeniteat sanum patris huius; eoque
Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio. Nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
Atque alios legere, ad fastum quoscumque parentes

A certis annis aevum remeare peractum. Non satis intelligo quid sint *anni certi.* A Scholiastis nihil disces. Commentator: „Si natura permitteret me renasci, et eligere parentes ex quibus nascerer.“ Acro: „Si natura concederet ut homines renascerentur, vel, quodsi natura faceret aliquem a certo anno repetere vitam suam post mortem.“ Hoc est duplex interpretatio: qui *renascitur* vitam repetit a primo initio, repuerascit, ut ait Cicero, et in cunis iterum vagit: qui repetit vitam *a certo anno*, repetit v. c. ab anno decimo, undecimo, duodecimo; anni, qui antecesserunt, quomodo pro nihilo ducantur? Valde mihi arridet pulcherrima coniectura viri cl. I. Bootii: *A teneris annis aevum remeare peractum.* Aevum peractum ita remeans, facit hominem renasci sine parentibus. Ergo, si est aetate, tenera quidem, sed tamen aliquam iudicandi facultatem habente, eligit et sumit sibi parentes, quos velit. In MSS. autem saepe pro TENERIS scribitur TERIS.

Doderlino *certi anni* videntur esse oppositi *mobili iuventae*, *aetas* adeo *constans*, *καθεστηκυῖα ἡλικία*, quam aetatem Horatius nunc habebat.

Atque alios legere, ad fastum quoscunque parentes Optaret sibi quisque. Praestat sane iungi *ad fastum optaret*, ut nunc quidem ista leguntur. Sed hic nova difficultas obiicitur. Si natura iuberet homines renasci, et sibi alios parentes legere, quomodo Horatius voluntati naturae resisteret? Scholiastae hoc videntes, interpretantur *iuberet*, *permitteret:* Commentator: „Nam si natura me permitteret renasci, et eligere parentes, ex quibus nascerer, ego non mallem ex honestioribus muniis functis nasci, quam quibus natus sum.“ Acro: „Si natura concederet, ut homines renascerentur: vel, quodsi natura faceret aliquem a certo anno repetere vitam suam post mortem, et fieret illi potestas eligendi a fatis quos vellet parentes, contentus essem parentibus meis.“ *Permittere* et *concedere* requirit sententia, ut in l. l. Ciceronis de Senect. 23. *Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem.* Cato *recusare* posset Deo *largienti*, Horatius naturae *iubenti* non poterat. Ubi autem *iubere* pro *concedere* positum invenitur? Difficultas loci inde quoque apparet, quod iam olim *ad fastum* non uno modo exposuerunt. Acro: „*Ad fastum:* ad superbiam, ad nobilitatem; an, ad eligendi fastidium, quod ex copia nascitur?“ Porphyrio: „*Ad fastum*, hoc est ad fastidium ac per hoc *superbe.*“ Aliter, quam Acro, Horatius, puto, hoc voluit: „Si hoc lege naturae esset constitutum, ut homines, postquam certum annorum numerum expleverint, novam vitam repeterent, et sibi quisque parentes legere posset, quos vellet, ego non alium legerem, quam eum, quem in aevo peracto habui.“ Haec sententia

Optaret sibi quisque, meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere; demens
Iudicio vulgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus, haud umquam solitus, portare molestum.
Nam mihi continuo maior quaerenda foret res,
Atque salutandi plures, ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem, plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrita. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum,
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos.
Obiiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Quum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu praeclare senator,
Millibus atque aliis vivo. Quacunque libido est,

quomodo ex vulgata lectione effici queat, non perspicio. Fortasse Acro, interpretans: „et fieret illi potestas eligendi *a fatis* quos vellet parentes" aliud vidit quam *ad fastum*. Caeterum comparo Lucian. Patriae Encomium 2. ὅπου δ' αἵρεσίς ἐστι πόλεων, οὐδεὶς ἂν ἕλοιτο τὴν λαμπροτέραν, ἐάσας τὴν πατρίδα, ἀλλ' εὔξαιτο μὲν ἂν εἶναι καὶ τὴν πατρίδα ταῖς εὐδαίμοσι παραπλησίαν, ἕλοιτο δ' ἂν τὴν ὁποιανοῦν. τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ οἱ δίκαιοι τῶν παίδων πράττουσι, καὶ οἱ χρηστοὶ τῶν πατέρων. οὔτε γὰρ νέος καλὸς κἀγαθὸς ἄλλον ἂν προτιμήσαι τοῦ πατρός.

Meis contentus. Horatius, puto, scripsit: *meo contentus.* Matris quidem hic nulla ratio habetur, neque Horatius eam usquam nominavit. Nominasset, si et illi multum deberet. Recte in aliis *parentes;* nam *quisque* sunt *plures.* Horatius unum poterat optare, hoc est, legere. *Quoscunque* alii ad fastum legerent, ego *eundem* legerem, *meo* essem contentus. Meliorem legere non potuissem. Supra dixit: *Nil me poeniteat sanum patris huius.* Recte *meo* contentus, nollem sumere *honestos.*

Quod nollem onus, haud unquam solitus portare molestum. Alii aliter distinguunt. Verius puto: *Quod Nollem: onus haud unquam solitus portare molestum.* Quod *nollem* mihi sumere parentem ad fastum, ut alii. *Sumere* repetendum ex vs. 97. Ita Satira I. 1. 19. *Discedite. Nolint.* Cur Horatius hic *nollet*, primum explicat universe, deinde singulatim.

Caballi pascendi, ducenda petorrita. Doeringius annotavit: „*ducenda* sc. mecum, ut paullo ante: *ducendus et unus Et comes alter.* In edit. Heindorfiana legitur *ducenta*, operarum, ut videtur, errore." Est procul dubio error typothetarum. Nam Heindorfius coniecturam tacitus in textum non reciperet, minime talem, quae et sententiae et metro obstaret. Recte igitur in aliis editionibus correctum *ducenda. Ducenda* fortasse explicari poterat, *regenda, agenda.* Magis probarem: *Pascendi, et habenda petorrita.* Librarii, metro timentes, mutasse videntur.

Millibus atque aliis vivo. Lambi-

Incedo solus, percontor quanti olus ac far:
Fallacem Circum vespertinumque pererro
Saepe forum, adsisto divinis, inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum.
Coena ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet, adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se
Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo; post hanc vagor, aut ego, lecto
Aut scripto, quod me tacitum iuvet, ungor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio Campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique;
His me consolor victurum suavius, ac si
Quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.

nus ex coniectura reposuit *multis atque aliis*. Orellius annotavit: „Sane contra usum vulgarem dicit *millibus aliis* pro *mille aliis*. Nimis infinite se cum *mille aliis* conferret in quibus poterant esse cerdones, non addito epitheto: longe me opulentioribus.“ Erunt fortasse, qui hoc ex ipsa sententia sequi putent. Horatium scripsisse coniicio: *Nobilibusque aliis vivo*. Eo alludere videntur MSS. in quibus est *milibus*, et in uno *militibus*.

Vespertinumque pererro Saepe forum. Melius arbitrabor *vespertinusque*, quod idem coniecit Lambinus, addens tamen nihil referre, utro modo legeretur. *Vespertinus*, credo, est exquisitius, magisque ex more Horatiano. Epod. XVII. *Vespertinus circumgemit ursus ovile*. Satir. I. III. 117. *qui nocturnus sacra legerit*. II. IV. 17. *Si vespertinus subito te oppresserit hospes*. II. VI. 99. *moenia nocturni subrepere*. Et sic alii praesertim in temporis notione, ut Graeci χθιζὸς, πανημέριος, πανύχιος, τριταῖος.

Post hanc vagor aut ego lecto. Unice vera est distinctio Bentleiana: quam et Meinekius commendat. De ablativis istis conferantur interpretes ad Sil. Ital. XIV. 97. et Cort. ad Sallustii Histor. V.

Quaestor avus, pater atque meus patruusque fuisset. Me iudice, poëta elegantius scripsisset: *Quaestor avus, praetorque pater patruusque fuisset*.

SATIRA VII.

Proscripti Regis Rupilî pus atque venenum
Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas,
Durus homo, atque odio qui posset vincere Regem,
Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
Convenit; — hoc etenim sunt omnes iure molesti,
Quo fortes, quibus adversum bellum incidit; inter
Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem

SATIRA VII.

Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse. Tanaq. Faber volebat: *haud lippis.* Bentleius refutat, quod multa quidem sunt nota, tamen non indigna relatu, et Horatius Rupilium oderat, eumque omnibus saeculis traductum volebat, ne iocus intercideret, nec paucis notum esse potuit, quod publice in Praetorio actum esset. Haec profecto Faber non cogitabat, neque illud, quod addam. Quia omnibus notum erat, Horatius, qui odio Rupilii literis mandare cupiebat, sine offensa Augusti mandare poterat. Nam Augustus amarum illud, *qui reges consueris tollere* non libens audiebat.

Etiam lites cum Rege molestas. Verum existimo: *etiam lites cum Rege: molestus, Durus homo* sq. Habebat permagna negotia Clazomenis, etiam habebat permagnas lites cum Rege: molestus, durus homo. Molestus quoque homo erat inimicus illius. Horatius vs. 10. utrumque vocat *molestum.*

Hoc etenim sunt omnes iure molesti. Ironice. Idem ius habent, saltem sibi sumunt, quod fortes, ut sint implacabiles. Faciunt, quod Hector et Achilles. Minus fortes, inertes adeo, in hoc genere sunt feliciores et meliores. Sunt placabiles. Horatius iterum sibi non parcit. Erat haud ita fortis: testantur Philippi; erat facilis irasci, tamen placabilis. Doeringius coniiciebat: *Hoc etenim sunt omnes more molesti.* Sed *ius* saepe habet significationem *moris.* Facimus aliquid ex *more*, ut solemus, nullo contra dicente, ex arbitrio nostro, *iure* usurpato et concesso. Conferantur interpretes ad Florum I. XVII.

Inter Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem. Bentleius vitiosum hoc loquendi genus et *ἰδιωτικὸν* magni emerit nunquam ab Horatio fuisse profectum: quemvis alium scriptorem *inter* semel tantum ponere; si bis ita ponitur, non magis ab usu quam a ratione recedere: tandem refert ad Hebraismum, quem Septuaginta expresserint, v. c. *ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους*, quod Latinum interpretem noluisse dicere *inter lucem et inter tenebras*, utpote Latino sermone alienum.

De *ratione* disputare nihil attinet. Si scriptores probatae Latinitatis sic loquuntur, sequitur eos nihil in hac forma deprehendisse, quod ratio non

Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
Summa fuit; duo si discordia vexet inertes,
Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomedi
Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro
Muneribus missis; — Bruto praetore tenente

ferret. Atque hoc nobis in hac caussa sufficit. Horatius Epist. I. II. 11. praepositionem iteravit: *Nestor componere lites Inter Peliden festinat et inter Atriden:* Bentleius, haec mutare coactus, legebat: *Primus Peliden*, hic legebat *Olim Hectora Priamiden*. Si duplex praepositio tantopere usui et rationi repugnaret, Horatius v. c. scribere potuisset: *quos bellum adversum incidit inter. Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem Ira fuit capitalis;* et in altero loco vel, ut Bentleius emendabat, vel *Nestorem* seu *lites* epitheto auxisset: *sapiens componere lites Nestor Peliden festinat et inter Atriden.* Sed iam Ruhnkenius ad Sueton. Caesar. 39. iudicabat, hoc non debuisse offendere magnum Bentleium, et laudabat Drakenb. ad Liv. XXVIII. 8. Exemplum Hebraismi, Latine conversi, magis huc pertinens, est in Genesi III. 18. ἔχθραν θήσω ἀνὰ μέσον σοῦ καὶ ἀνὰ μέσον τῆς γυναικός. Interpres, *ponam inter te et mulierem.* Secutus est, credo, usitatam vulgo formam, ignorans vel non recordatus, alteram *inter et inter* quoque Latinam esse. Iam Heindorfius usum repetiti *inter* sic illustravit, ut nihil addi possit.

Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors. Saepe *ultimus, supremus, extremus*, additur *morti, funeri*, vide Oudend. ad Appul. Metam. p. 448. varia tamen significatione, interdum quasi in adverbium resolvenda, ut Bentl. ad Horat. Epist. II. II. 173. monuit, optime h. l. interpretans: *ira fuit capitalis*, tam inplacabilis, ut *ultimo*, vix tandem, mors eam divideret. Atque isto fere modo accipi possunt *ultimum praesidium, ultimum auxilium*, ultra quod nullum aliud reperitur, de quo Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 111.

Aut si disparibus bellum incidit, ut Diomedi Cum Lycio Glauco, discedat pigrior, ultro Muneribus missis. Silentio non praetereundum putavi, quod animadvertit Apitzius: displicebat illi *bellum incidit*, quod modo vs. 11 esset adhibitum, nec laudabat, poëtam nullum exemplum addidisse *inertibus*, ut addidit *disparibus;* si Glaucus pigrior dicitur Diomede, Diomedem quoque fuisse *pigrum*, caussam belli inter Glaucum et Diomedem omissi non fuisse ignaviam, sed hospitium maiorum, neque Glaucum dedisse munera, sed permutasse arma, cuius permutationis auctorem fuisse Diomedem, non Glaucum, Diomedem omne certamen dissuasisse: Horatium talia contra mentem Homeri scribere non potuisse. Haec fere Apitzius, qui, eiectis *bellum incidat ut Diomedi Cum Lycio Glauco* legit: *aut si disparibus lis, cedat pigrior ultro Muneribus missis.*

Fortasse locus pluribus additamentis est inquinatus. Parenthesis quidem longior, eo tantum consilio ducta videtur, ne, quod esset narraturus poëta, nimia brevitate laboraret. Atque illud de *inertibus* aut *disparibus* tam parum requiritur, ut potius carere malles. Contrarius pugnae eventus inter *inertes* et *dispares* satis ipse ex summa virtute et ira capitali, non nisi morte alterius utrius finienda, in exemplo Hectoris et Achillis apparet. Horatius,

Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
Compositi melius cum Bitho Bacchius. In ius
Acres procurrunt, magnum spectaculum uterque.
Persius exponit causam, ridetur ab omni
Conventu; laudat Brutum laudatque cohortem:
Solem Asiae Brutum appellat, stellasque salubres
Appellat comites, excepto Rege; canem illum,
Invisum agricolis sidus, venisse: ruebat
Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.

caeteris omissis, melius, credo, ita, narrasset: *nisi quod virtus in utroque Summa fuit. Nuper Bruto praetore tenente Ditem Asiam* sq. *Nuper*, ut notum est, de tempore seu brevi seu diu praeterito sumitur.

Rupili et Persi par pugnat, uti non Compositi melius cum Bitho Bacchius. Bentleius recte praetulit *compositi*; in aliis MSS. erat *compositum* et *compositus*. Dubito autem an satis Latine dicatur *par Rupilii et Persii*, pro *Rupilius et Persius par*. Ita Cicero Acad. Quaest. II. 46. *Unum igitur par, quod depugnet, reliquum est, Voluptas cum Honestate.* Auctor ad Liviam 301. *Par bene compositum, iuvenum fortissimus alter, Altera tam forti mutua cura viro.* Haec iam in Commentario Bentlei adsunt. Adde Cicer. de Opt. gen. Orat. 6. *A me autem gladiatorum par nobilissimum inducitur, Aeschines, tamquam Aeserninus, ut ait Lucilius, non spurcus homo, sed doctus et acer Cum Pacidiano hic componitur.* Lucanus VII. 695. *sed par, quod semper habemus, Libertas et Caesar erunt.* Senec. de Prov. 2. *Ecce par, Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.* Et sic ubique: etiam ubi nomina propria non exprimuntur, sed cogitantur, ut Petron. p. 396. *Par Thebanum*, nempe *Eteocles* et *Polynices*: non *Thebanorum*, quod male legitur in Minut. Fel. Octav. p. 140. Par *gladiatorum*, *fratrum*, *amicorum*, et alia huiusmodi, huc non pertinent. Iam, si verum est, quod disputavi, Horatius scripsit: *Rupili et Persi par pugna erat, ut non Compositi melius cum Bitho Bacchius.* Ut Bithus et Bacchius non melius essent compositi, quorum certamen mors sola finire poterat, ut certamen Persii et Rupilii poterat Praetor.

Ruebat Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis. Hi interpretantur: ubi virgulta et arbores flumini sunt impedimento; illi: ubi non sunt virgulta et arbores. Neutrum, neque perspicue neque eleganter expressum, adeo ut non credam Horatium ita scripsisse. Si praecessistet *silva*, paullo melius intelligeremus *quo rara securis ferretur*, vel sic tamen illud mihi displiceret. Quis enim aequo animo toleret, *rara securis in silvam fertur*, pro silva, *rara securi caesa, silva diu incaedua* sim.? Nunc praecedit *flumen*; ergo *securis* fertur ad *flumen*, et assumendum, *ad arbores* in ripa fluminis caedendas. Multa conieci, v. c. hoc quoque: *ruebat, Flumen ut hibernum fertur rapido in sata cursu.* Ut Homeri Il. Λ. 492. Ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισι χειμάῤῥος. Virg. II. Aen. 305. *rapidus montano flumine torrens Sternit agros, sternit sata laeta, boumque labores.*. Commentator: „ut de altissimis montibus torrens hiberno tempore solet rapidissime decurrere.“ Videant alii, an vulgata vel

Tum Praenestinus salso multoque fluenti
Expressa arbusto regerit convicia, durus
Vindemiator et invictus, cui saepe viator
Cessisset, magna compellans voce cuculum.
At Graecus, postquam est Italo perfusus aceto,
Persius exclamat: „Per magnos, Brute, deos te
Oro! qui reges consuesti tollere, cur non
Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede, tuorum est.“

interpretari, vel pulchrius corrigere sciant. Ego coniecturas tantum propono, ut meliores eliciam omnibus, qui tentare possint.

Salso multoque fluenti Expressa arbusto regerit convicia. Quid sit *arbusto*, me non intelligere fateor. Optimum esset accipere cum Commentatore: *„deprompta et prolatu ex pectore.“* et: „bene hic dicit *vindemiator*, quia in praecedenti versu dixit *arbusto* pro *pectore.*“ Sed quis hoc efficiat ex *arbusto?* Bentleius hunc verborum ordinem constituit: Tum Praenestinus, durus vindemiator, expressa arbusto convicia regerit Persio. Quomodo *arbustum* interpretetur, non dicit. Credo, arbustum *vindemiatoris*. Horatius fortasse hoc voluit: Tum Praenestinus regerit convicia Persio, quae expressit ex salso et multo fluenti gutture, fauce, rostro, rictu, vel simili verbo, quod quale fuerit, aliis divinandum relinquo. Latinum esset *expressa e rictu*; ut Sueton. in Claud. 30. *Ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus.* Varii affectus per *rictum* significantur. Conf. exempla ab Heindorfio laudata ad Satir. I. x. 7.

Salsus tamen vix a Graeco separari et Praenestino tribui potest, cui magis proprium est *acetum*. Rectius legeretur: *Salso multoque fluenti Expressa umbustus regerit convicia.* Hoc in *Addendis* explicabo.

Persius exclamat per magnos, Brute, Deos te oro. Cum dixerat: *At Graecus postquam est Italo perfusus aceto*, quivis sentit *Persius* nunc ita fere subiungi, ut metro implendo inserviisse videatur. Acerbe opponuntur *Graecus* et *Italum acetum*. Quod additur *Persius*, illud acerbum vehementer minuit, nec multum differt a *Persius nempe, Persius scilicet.* Quanto elegantius poëta dedisset: *Per te avos, clamat, per magnos, Brute, Deos te Oro.* Formula obtestandi nota est. Virgil. Aen. X. 597. *Per te, per qui te talem genuere parentes.* Eurip. Phoeniss. 1659. *ναὶ πρὸς σὲ τῆσδε μητρός.* Interpretes saepissime illustravere, eximie Ruhnk. ad Terent. Andr. III. III. 6. Hiatus *te avos* similis est illi in Satir. I. IX. 38. *Si me amas.*

Qui reges consuesti tollere. In aliis *consueris*. Bentleius *consuesti* recte praefert. Lego, adiecta literula: *consuestis*. Tu et avi consuestis. Et Brutus ad coniurationem contra I. Caesarem exemplo maiorum incitabatur, ut, *Brute, non es Brutus.* Nec credibile est hominem Graecum, historiae non ignarum, Tarquinios praeteritorum fuisse. Dicti autem invidia aliquantum mitigatur, addita cogitatione Tarquiniorum. Avi regnum Tarquiniorum, tu Caesaris sustulisti. Illi Tarquinios eiecerunt, tu Caesarem iugulasti. Iugula et hunc Regem. Sic demum eris Brutus.

Operum hoc, mihi crede, tuorum est. Varia sunt vitae genera, diversi artifices. Suam quisque habet artem, professionem, opus, *τέχνην, ἔργον.* Iam Bruti faciebant hoc opus, ut reges tol-

lerent. Sicuti v. c. fabri lignarii opera sunt *scamna*, *Priapi*, ita Tarquinii reges, I. Caesar sublati sunt opera Brutorum, manibus Brutorum confecta: sunt *opera operis* quod quasi profitebantur. Brutus noster iam dederat specimen artis, interfecto rege Caesare: Rex Rupilius quoque, ait Persius, est *operum tuorum*, dignus tua manu, hunc nobis debes, hoc opus a te artifice exspectamus, Rex iste sit tua manus, sit tuus labor, digna est materies: hunc interficere *congruit professioni tuae*, ut verbis utar Vell. Paterc. II. 87. Fortasse magis orationem poeticam referret: *operum hic, mihi crede, tuorum est.* Ita Horatius in Carm. Saeculari: *Roma si vestrum est opus.* Ovid. III. Metam. 728. *Opus haec victoria nostrum est.* Ubi male ante Heinsium legebatur *opus hoc.* Seneca Epist. 34. *assero te mihi, meum opus es.*

SATIRA VIII.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido; nam fures dextra coercet
Obscoenoque ruber porrectus ab inguine palus;
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa vetatque novis considere in hortis.
Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca;
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum,
Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.

SATIRA VIII.

Maluit esse Deum. Nescio an alii iam comparaverint ista in Ieremiae Epist. vs. 45. de simulacris Deorum, quae *ὑπὸ τεκτόνων καὶ χρυσοχόων κατεσκευασμένα εἰσίν. οὐδὲν ἄλλο μὴ γένηται, ἢ ὃ βούλονται οἱ τεχνῖται αὐτὰ γενέσθαι.* Faber Horatianus fecit Priapum, et vendidit illi, cui Maecenas curam Esquiliarum in hortos mutandarum commiserat.

Locabat. Libitinariis, credo, ut efferrent. Seneca Epist. 99. *Quam multis cum maxime funus locatur.* Libitinarii *conducunt.* Acro ad Satir. II. VI. 19. „Est Libitina locus in urbe, quo constituuntur qui efferenda corpora conducunt, et praebent funeribus necessaria.“

Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum. Non sat perspicuum, quid *hoc* significet. Tum Commentator docet: „a puteis, fossis ad sepelienda cadavera pauperum, locus dictus est *Puticuli.*“ Talia sepulcra quomodo *stare* dicuntur?

Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti. Misera, egena plebs ibi sepeliebatur. Sed neque Pantolabus neque Nomentanus erant ex misera plebe. Omnia bona sua, ut ait Commentator, comissando voraverant. Ut nunc legitur, sunt ex misera illa plebe. Horatius, puto, scripsit: *Pantolabo et scurrae Nomentanoque nepoti.* Idem

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat; heredes monumentum ne sequeretur.
Nunc licet Esquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum;
Quum mihi non tantum furesque feraeque, suetae

sentiebat Doderlinus, coniiciens: *sepulcrum et Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.* Fortasse, ait, uterque vivebat, et Horatius iis sortem futuram praedicit. Acro annotavit: „Nomentanus prodigus fuit et omnia bona sua comederat; et eleganter his duobus Pantolabo et Nomentano apud Esquilias in publicis ustrinis monumentum dicit fuisse, quia privatum habere locum non potuerant, omnibus suis absumptis." Paullo igitur melius sibi consuluit Coelius ille Mantuanus, de quo Servius ad Virgil. Ecl. III. 105. „qui venditis omnibus rebus et consumptis tantummodo sibi spatium reservavit, quod sepulcro sufficeret."

Trecentos cippus in agrum Hic dabat: heredes monumentum ne sequeretur. Explicant: hac adiecta conditione, *heredes monumentum ne sequeretur.* Ita, puto, *monumentum* accipi non potest, sive intelligas ipsum *cippum*, sive *sepulcrum.* Coniicio: *Hic miserae plebi dabat in commune sepulcrum Pantolabo et scurrae Nomentonoque nepoti Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum, Et stabat monumentum haeredes ne sequeretur.* Cippus dabat tot pedes in sepulcrum plebi et nepotibus, quales Pantolabus et Nomentanus, et cippus stabat tamquam monumentum, ne isti pedes, sepulcro destinati, ne commune illud sepulcrum heredes sequeretur. Formulam H. M. H. N. S. multi exemplis illustraverunt, in his Brissonius p. 680. qui et alteram exposuit: H. M. S. S. H. N. S. putans esse: *Hoc monumentum sive sepulcrum.* In Horatio certe *monumentum* et *sepulcrum* differunt. Plebs misera non habebat *monumentum* in puteis suis. Cippus *monebat* locum esse publicum.

Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes. Bentleius ex coniectura *qua modo.* Horatii puto: *Aggere in aprico spatiantur, qui modo tristes.* Qui modo Esquilias praeteribant, et tristes spectabant agrum ossibus albis informem, nunc, si velint, ibi habitare possunt, et iam laeti in aprico aggere spatiantur. Apitzius legebat *qui modo tristes*, interpretans „nunc licet spatiari in Esquiliis et in aggere, ubi paullo ante ager ossibus deformis spectabatur. Ergo antehac non magis ibi spatiari licebat." Paullo durius videtur, *licet spatiari*, qui spectabant, omisso *illis.*

Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae Hunc vexare locum. Priapus non prius in Esquilias venit, quam in hortos essent conversae. Ex eo inde tempore praesentia Dei requirebatur ad arcendos fures et aves. Erat, ut ipse dixit in principio Satirae, *maxima formido furum aviumque.* Accedebant, altera molestia, *ferae.* Ferae, praesertim canes, antea locum vexare suetae, nunc quoque consuetudinem pristinam sequebantur, et noctu in Esquilias ventitabant, tentantes si, effossis hic illic cadaverum reliquiis, res aliqua cibi inveniretur. Hinc Priapo nova cura, novus labor. *Suetae* de *feris* dicitur, non adeo de *avibus*, minime de *furibus.* Nihil enim in Esquiliis, sepulcro miserae plebis, erat, quod fures praedarentur. Horatius, credo, *aves* hic omittere non potuit. Suspicor *volucres* ante *furesque* propter similitudinem li-

Hunc vexare locum, curae sunt atque labori,
Quantum carminibus quae versant atque venenis
Humanos animos. Has nullo perdere possum
Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis passoque capillo,
Cum Sagana maiore ululantem; pallor utrasque
Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
Unguibus et pullam divellere mordicus agnam
Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
Manes elicerent animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea, maior;
Lanea, quae poenis compesceret inferiorem,
Cerea suppliciter stabat, servilibus ut quae
Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
Altera Tisiphonen; serpentes atque videres
Infernas errare canes, lunamque rubentem,

terarum vel quacumque de caussa excidisse, et lacunam ex glossa interlineari *tantum* esse suppletam. Optime certe legeretur: *Cum mihi non volucres furesque, feraeque suetae Hunc vexare locum, curae sunt atque labori, Quantum* sq. In priore membro *tantum* omittitur, et hic eo quidem elegantius, quia primum legentibus vix aliam sententiam suggerit, quam *non solum*. Exemplum omissi *tantum* est in Horatii Satira II. III. 87. *Frumenti quantum metit Africa*. Epist. II. I. 257. *Si quantum cuperem, possem quoque*.

Et pullam divellere mordicus agnam Coeperunt. Vidi Canidiam vadere, scalpere terram, et divellere coeperunt. Quis orationem adeo soloecam ab Horatio componi potuisse credat? Latinitas saltem postulabat *coepisse*. Sed veneficas non *coepisse divellere* agnam, at vere *divulsisse*, ostendit *cruor in fossam confusus*. Quid multa? Legendum: *et pullam divellere mordicus agnam, sicut erat*. Iugulo non prius aperto, ut sanguis facilius effluueret, nec pelle ferro deglupta, sed dentibus agnam divulserunt, sicut erat, cum pelle et villis. Nota est formula *sicut erat*, ὡς εἶχεν, nihil in agna mutantes, statim sine mora eam arripiunt. Conferantur interpretes ad Xenoph. Ephes. II. p. 225. ed. Harlem. Marklandus idem restituit Statio Silv. II. III. 33. *Sic tota cum veste ruit*. corrigens *sic ut erat cum veste ruit*. Vulgatum intelligi non potest. Alii locum Horatii sic distinguunt, ut *scalpere* pendeat a *coeperunt*. Parum, credo, iuvat.

Lunamque rubentem; Ne foret his testis post magna latere sepulcra. „Cum in Esquiliis, ait Doeringius, non sepelirentur beatiores, sepulcra in altum exstructa intelligi nequeunt. Intelligo igitur sepulcra recentia, quorum tumuli maiores caeteris esse solent.“ Alii interpretes ista silentio praeteriisse videntur. Horatius fortasse hoc voluit: si multa cadavera

Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
Iulius et fragilis Pediacia furque Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
Umbrae cum Sagana resonarint triste et acutum,
Utque lupi barbam variae cum dente colubrae

in eadem fossa, alia super alia, sepeliuntur, exsistunt parvi colles, *tumuli*. Hos tumulos, iam arboribus vestitos, tamen appellat sepulcra *magna, alta*. Cogita v. c. sepulcra militum Romanorum in multis regionibus hodie quoque nomine *tumulorum* cognita. Post talia sepulcra Luna poterat *latere*.

Vulgo aliter imago Solis et Lunae, ne quid videant, fingitur. Sol a rebus turpissimis *vultum avertit, se caligine tegit*, sim. De Luna haec annotaveram: Iuvenal. Satir. VIII. 149. *Nocte quidem, sed Luna videt, sed sidera testes Intendunt oculos.* Lucianus de Morte Peregr. 36. ἐπειδὴ ἡ σελήνη ἀνέτειλεν, ἔδει γὰρ κἀκείνην θεάσασθαι τὸ κάλλιστον τοῦτο ἔργον. Idem in Icarom. 21. κᾶν τινα ἴδω, dicit Luna, αὐτῶν μοιχεύοντα, ἢ κλέπτοντα, ἢ ἄλλο τι τολμῶντα νυκτερινώτατον, εὐθὺς ἐπισπασαμένη τὸ νέφος, ἐνεκαλυψάμην. Ad hanc rationem Horatius imaginem Lunae informare potuisset, se celantis post *nubem*.

Acro autem aliud legisse videtur: „Post magna latere sepulcra: ioculariter, ne quis ea videret, latebant post sepulcra." Fieri potest, ut legerit: *Serpentes atque videres Infernas errare canes, Lunamque rubentem; Neu foret his testis, post magna sepulcra latebant.* Videres serpentes atque canes errare, et Lunam, quae facinora ista iam viderat, rubentem, rubere; ac, ne quis homo his factis foret testis, ipsae veneficae post magna sepulcra latentes ista perpetrabant.

Magna sepulcra iam Wustemannus eodem fere modo, quo interpretabar, accipiebat. Doderlinus: „Luna latet post *sepulcra*, hoc est, post *nubila*, quasi sepulcra. Densa et continua nubila sunt quasi sepulcra Lunae."

Pediacia. Fortasse locus ita explicari potest, ut videantur tres esse personae, Iulius, et Pediacia, et Voranus, sed proprie sint duo, Iulius Pediacius et Voranus. Quos Priapus non recusaret, quominus essent venturi, si mentiretur, esse debent homines perditi et infames. Ut Voranus appellatur fur, ita, si Iulius ipse esset persona, epitheto notaretur, ut *fur* Voranus, *fragilis* Pediacia. Notatur Iulius, pro *Pediacio* appellatus *Pediacia*. Iam *Iulius* et *Pediacia* accipi potest, ut olim urbani per iocum scribebant aliquid esse actum *Iulio et Caesare Coss.* De isto generis feminini usu conferendus Freinsh. ad Curtium VIII. 1.

Variae cum dente colubrae. Haud peius esset *Marsae cum dente colubrae.* Poëtae animalia nominare amant a regione, in qua seu virtute seu vitio excellentia nascuntur. Regionem Marsicam plenam fuisse oportet serpentibus et colubris maxime venenatis, quia magicus Marsorum cantus inprimis valere credebatur ad omne genus illud rumpendum, et Marsi ipsi *domitores serpentium* appellantur. Et veneficae herbas et alia medicamenta undique legebant. De Marsis quae dici poterant, dixit Heinsius ad Ovidii Art. II. 102. Nos addere possumus Fronton. p. 322. *Si Marso quis patre natus viperas, lacertas, natrices timeret, nonne degenerare videretur?* Ex ista

Abdiderint furtim terris et imagine cerea
Largior arserit ignis, et ut, non testis inultus,
Horruerim voces Furiarum et facta duarum.
Nam, displosa sonat quantum vesica, pepedi
Diffissa nate ficus; at illae currere in urbem.
Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
Excidere atque herbas atque incantata lacertis
Vincula, cum magno risuque iocoque videres.

poëtarum consuetudine nuper in Mnemosyne Leidensi emendandum putavi Virgil. Georg. I. 2. *Aminaeas ulmisque adiungere vites*, pro *Maecenas, ulmisque adiungere vites*. Rem quoque attigit Burm. ad Claudian. in Rufin. I. 353.

Diffissa nate ficus. Priapus supra dixerat: *olim truncus eram ficulnus.* Faber me fecit Deum. Inde ego Deus maxima formido sum avibus et furibus. Et omnis oratio Priapi est velut Dei. Cur hic se appellaret *ficum*? Fieri potest ut alii iocum in re ista inveniant nescio quem lepidum. Horatius fortasse scripsit: *Diffissa nate nisus.* Quo modo Vespasianus apud Sueton. 20. *Vultum veluti nitentis habuisse* narratur.

At illae currere in urbem. Malim: *At illas currere in urbem, Canidiae dentes* sq. Sic ista uno tenore celerius acta ostenduntur. Videres illas currere, Canidiae dentes, Saganae caliendrum et herbas et vincula excidere videres.

SATIRA IX.

Ibam forte Via sacra, sicut meus est mos,
Nescio quid meditans nugarum, totus in illis;
Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
Arreptaque manu: „Quid agis, dulcissime rerum?“

SATIRA IX.

Ibam forte via Sacra. Bentleius de suo inseruit: *Ibam* ut *forte.* Displicebant ei vulgata, tamquam concisa, dissoluta et hiantia: ibam via sacra. Accurrit mihi quidam. Equidem si *ut*, quod in nullo Cod. legitur, legeretur in omnibus, potius delerem. In abrupto narrantis ira et indignatio iam statim eminet.

Quid agis, dulcissime rerum? Praefero alteri distinctioni, *quid agis, dulcissime, rerum*? Iam olim de re ista fuisse dubitatum, apparet ex Commentatore, qui docet ordinem esse: *quid rerum agis.* Quod Plautus et Terentius coniungere solent *quid rerum*, hoc movere nos non debet, ut et Horatium hic coniunxisse iudicemus. *Dulcissime rerum* magis convenit ingenio garruli hominis, Horatio nomine tantum noti, eumque alloquentis, quasi iam a pueris maximi amici fuissent. Ruhnken. ad Terent. p. 102. annotavit, frequens esse apud poëtas *pulcherrime rerum* pro *pulcherrime hominum* Formula mihi sic explicanda videtur: *pulcherrime, dulcissime rerum*, est omnium rerum, quaecumque ubique in terris sunt, dulcissime, pulcherrime ante omnia. Iam res omnes, omnia, complectuntur quoque *homines.* Illud *om-*

„Suaviter, ut nunc est, "inquam, „et cupio omnia, quae vis.“
Quum adsectaretur: „Num quid vis?“ occupo. At ille:
„Noris nos,“ inquit; „docti sumus.“ Hic ego: „Pluris
„Hoc“ inquam„ mihi eris.“ Misere discedere quaerens,
Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero, quum sudor ad imos
Manaret talos. „O te, Bolane, cerebri
Felicem!“ aiebam tacitus, quum quidlibet ille
Garriret, vicos, urbem laudaret. Ut illi
Nil respondebam, „Misere cupis,“ inquit, „abire:
Iamdudum video; sed nil agis; usque tenebo;
Persequar hinc quo nunc iter est tibi.“ „Nil opus est te
Circumagi: quendam volo visere non tibi notum;
Trans Tiberim longe cubat is, prope Caesaris hortos.“
„Nil habeo quod agam, et non sum piger, usque sequar te.“
Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus,
Quum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
„Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
Non Varium facies: nam quis me scribere plures
Aut citius possit versus? quis membra movere

nium variis modis ponitur. Plaut. Menaechm. V. II. 61. *cuius rei rerum omnium.* Talia sunt *quis omnium*, *solus omnium*, sim. In Appul. Apolog. p. 583. *Quis omnium vel exigue rerum peritus*, non iuugenda *omnium rerum.* Sed ita pergens, inciderem in formulam *credere, confidere rerum*, de qua Perizon. ad Sanctii Minerv. p. 172.

Pluris hoc, inquam, mihi eris. Qui ita loquitur, hic, iudice Cl. Bootio, alterum blando sermone ad colloquium invitat. Hoc nolebat Horatius. Ergo aliud dixit. Sed quod aptum est, Bootius non inveniebat. Recte, puto, vidit. Fortasse non indignum Horatio responsum erat: *Pluris Hoc, inquam, haud mihi eris*, Horatius vanum et stolidum garrulum semel ablegare cupiens, rustice et irate respondet: ego non sum doctus, neque amo doctos; non est igitur, cur propterea te mihi commendes.

Persequar. Bentleius ex MSS. *prosequar*, quod est honoris caussa, cum *persequar* aliud quid notaret, a sententia poëtae alienum. Ruhnkenius non faciebat cum Bentleio, annotans Graecos quoque *διώκειν* sensu bono ponere. Non video, cur hic unice bonus sensus requiratur. Garrulus iam erat offensus, cum videret Horatium velle abire, et comitem molestum effugere. Nil agis, inquit, usque tenebo, sequar te et *persequar*, sive *usque sequar*, ut vs. 19. Sed *persequi* saepe non differt a simplice *sequi*. Vel in Terentio erant exempla nonnulla, quae Bentleium hic retinere potuissent, si esset recordatus. Et omnino talia pendent a sententia totius loci, v. c. Lucian. Conviv. 4. *εἰ γοῦν ἐθελήσω ἀπαλλάττεσθαι νῦν, οὐκ ἐάσεις με ἀνήκοον ἀπελθεῖν, ἀλλ' ἔξεις, καὶ παρακολουθήσεις.*

Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto."
Interpellandi locus hic erat: „Est tibi mater,
Cognati, quis te salvo est opus?" „Haud mihi quisquam:
Omnes composui." „Felices! Nunc ego resto.
Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
„*Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis,*
Nec laterum dolor aut tussis, nec tarda podagra;
Garrulus hunc quando consumet cunque: loquaces,
Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas."

Felices! Nunc ego resto. Virgil. Aen. XI. 159. *Felix morte tua, neque in hunc servata dolorem! Contra ego vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor.* Hinc emendandum puto Vell. Paterc. II. 49. *Nunc proposito operi sua forma reddatur, si prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque et Hortensio; qui cum sine invidia in rep. floruissent, eminuissentque sine periculo, quieta, aut certe non praecipitata, fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt.* Legam: *felici ante initium bellorum civilium morte functi sunt.* Illi floruerant in rep. et eminuerant sine periculo quieta aut certe non praecipitata. Tacitus Agric. 44. *Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse.* Postquam Cicero de Oratore III. 3. sententiam istam de felici mortis opportunitate longe pulcherrime elaboraverat, multos nactus est imitatores, vel patres Ecclesiasticos. Hieron. Epist. 35. *Felix Nepotianus, qui haec non videt. Felix, qui ista non audit. Nos miseri, aut patimur, aut patientes fratres nostros tanta perspicimus.* Epist. 95. *Felix morte sua, qui non vidit patriam corruentem.* Ambros. T. I. p. 1122. *Raptus est, ne in manus incideret barbarorum. Raptus est, ne totius orbis excidia, mundi finem, civium mortes, ne postremo sanctarum virginum, quod omni morte acerbius est, colluvionem videret.*

Namque instat fatum mihi triste, Sabella Quod puero cecinit divina mota anus urna. Bentleius corrigit *mota divina anus urna.* Sic mihi iuncta non placent *anus Sabella divina.* Esset enim tautologia, quia *anus Sabella* et *divina,* propter adjectum *cecinit mota urna* idem significant. Exempla Bentlei parum huc facere videntur. *Acies Vulcania* est *ignis, domus Plutonia* est *Orcus.* Iam recte aciei Vulcaniae additur *horrida,* recte domui Plutoniae additur *exilis;* non recte diceretur *acies Vulcania ignea,* neque *domus Plutonia infera.* Sic anus Sabella hic non respuit quidem epitheton, respuit autem *divina.* Fortasse legendum: *Namque instat fatum mihi triste Sabellae, Quod puero mota cecinit divina anus urna.* Virgilius dixit Aen. IV. 612. *Si tangere portus Infandum caput, ac terris adnare necesse est, Et sic fata Iovis poscunt.* Aen. VI. 376. *Desine fata Deum flecti sperare precando.* In Satiris saepe ad talia alluditur, et seria in ridiculum vertuntur. *Fatum Sabellae,* ut *fata Iovis, Deum,* id quod Sabella fata est, quod puero cecinit, *verba fatalia* Sabellae, *dictum Sabellae,* ut Horat. in Carm. Saeculari: *Vosque*

Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita, et casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.
„Si me amas," inquit, „paullum hic ades." „Inteream, si
Aut valeo stare aut novi civilia iura;
Et propero quo scis." „Dubius sum, quid faciam," inquit,
„Tene relinquam an rem." „Me, sodes." „Non faciam" ille,
Et praecedere coepit; ego, ut contendere durum
Cum victore, sequor. „Maecenas quomodo tecum?"
Hinc repetit. „Paucorum hominum et mentis bene sanae."
„Nemo dexterius fortuna est usus. Haberes
Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
Summosses omnes." „Non isto vivitur illic,
Quo tu rere, modo: domus hac nec purior ulla est
Nec magis his aliena malis; nil mî officit umquam,
Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni-
Cuique suus." „Magnum narras, vix credibile." „Atqui
Sic habet." „Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse." „Velis tantummodo; quae tua virtus,
Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque

veraces cecinisse Parcae, Quod semel dictum est. Et *fata* appellantur *libri fatales*, fata continentes. Ex sententia loci satis perspicitur, fatum Sabellae a nullo acceptum iri de *fato*, quod ipsi *Sabellae* accideret.

Posset qui ferre secundas, Hunc hominem velles si tradere. Aptior esset sententia, si garrulus Horatio sic responderet: *Nemo dexterius fortuna te usus: haberes Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas, Huic homini velles si tradere.* Maecenas, dicis, est hominum paucorum et mentis sanae. Igitur nemo dexterius usus est fortuna, quam tu, qui tantum apud eum valeas, ut primas fere partes iam nunc agas. Revera es *Fortunae filius.* Trade mihi secundas, et videbis, quam cito omnes alios submoveris. Tu eris, me adiutore, primus; ego contentus ero, si sim secundus. Aequo animo partes secundas feram. Horatio blanditur, quasi omnia apud Maecenatem posset. Et Horatius de *tradendo* eo non cogitabat, tantum respondens ad id, quod garrulus de primo et secundo loco dixerat. Sic ibi, inquit, non vivitur. Maecenas in eo vulgarem consuetudinem aulae non sequebatur. Ita iam erat tempore Augusti, et deinceps. Sueton. Othon. 2. *Per hanc insinuatus Neroni facile summum inter amicos locum tenuit.*

Non isto vivitur illic, Quo tu rere, modo. Ita Bentleius ex MSS. edidit: in aliis erat *vivimus.* Venustius vocat; dicerem et modestius, quia generalius. Generale v. c. in his spectatur, Ovid. Metam. I. 144. *Vivitur ex rapto.* Seneca Epist. 91. *Nihil horum indignandum est. In eum intravimus mundum, in quo his legibus vivitur.*

Difficiles aditus primos habet.“ „Haud mihi deero;
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram:
Occurram in triviis; deducam! Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.“ Haec dum agit, ecce
Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. „Unde venis?“ et
„Quo tendis?“ rogat et respondet. Vellere coepi,
Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.
„Certe nescio quid secreto velle loqui te
„Aiebas mecum.“ „Memini bene, sed meliori
„Tempora dicam: hodie tricesima sabbata: vin' tu
„Curtis Iudaeis oppedere?“ „Nulla mihi,“ inquam,

Et prensare manu lentissima brachia. Mire dissentiunt interpretes in explicando *lentissima*. Recte iam acceptum est ab Erhardo, ni fallor, ad Petron. 18. pigra, tarda, surda, segnia, nihil commota meo pressu. Legebat nempe *pressare*, ut alii. Praefero *prensare: pressare* ortum videtur ex *prēsare*. Bracchia autem *lentissima* sunt hominis *lentissimi*, ut *fortia pectora*, et alia huiusmodi.

Male salsus Ridens dissimulare. Orationem facies omnino magis Latinam scribendo: *Male falsum Ridens, dissimulare*. Tacit. Annal. IV. 60. *Falsum renidens vultu*. Silius I. 398. *saevum arridens*. Auctor carminis Horatio tributi, III. XXVII. 67. *Perfidum ridens Venus*. Talia multa sunt apud Graecos poëtas, ut nobilissimum illud Homeri δακρυόεν γελᾷν, et Sapphus ἀδὺ φωνᾶσαι, *dulce ridentem* Horatii.

Hodie tricesima sabbata. Numerus septenarius a Iudaeis habebatur omni alio sanctior. Apparet in die septimo, septimo mense, septimo anno, septem diebus festi paschalis. Nescio an hinc constitui possit sabbatum aliquod tricesimum. Mos certe sabbati a numero quodam nominandi notus est vel ex N. T. Luc. VI. 1. ubi memoratur σάββατον δευτεροπρωτον.

Doderlinus legit: *Hodie tricesima, sabbata!* Hodie tricesima mensis dies est, eademque sabbata est. Exemplum quidem ei non cognitum est, quo v. c. diceretur *tricesima aprilis* pro *pridie Maii*, vel *prima* pro *calendis*, verosimile tamen videtur ita in sermone vulgari Romanos fuisse locutos. Si quid valeat in hac caussa Acro, qui ex antiquioribus habere potuit, Acro ita locutus est, ad Horat. Satir. II. II. 4. „Decimo septimo Decembris Saturnalia celebrabantur.“

Vin' tu Curtis Iudaeis oppedere? Nulla mihi, inquam, Religio. Omnia haec sunt Horatii. Quin oppede Iudaeis! Ego quidem oppedo. Nulla mihi est religio, tricesima ista sabbata me non deterrent aut retardant, quominus audiam, quod secreto te mecum loqui velle aiebas. Ita sententia melius convenit poëtae irato, quam amico dissimulanti. *Vin' tu oppedere* pro *oppede*, ut Satir. II. VI. 92. *Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis.*

„Religio est.“ „At mî: sum paullo infirmior, unus
Multorum: ignosces; alias loquar.“ Hunccine solem
Tam nigrum surrexe mihi? fugit improbus, ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obvius illi
Adversarius, et „Quo tu, turpissime?“ magna
Inclamat voce: et „Licet antestari?“ Ego vero
Oppono auriculam: rapit in ius; clamor utrimque,
Undique concursus. Sic me servavit Apollo.

SATIRA X.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus; hoc lenius ille,

SATIRA X.

Lucili, quam sis mendosus. Sintne octo versus Horatii, an non sint, iam olim a viris eruditis disputatum est. Doeringius in Programmate a. 1822. Horatio tribuit, Eichstadius in Programmate eiusdem anni abiudicat. Quaestio optime intelligitur ex annotatione Doeringii in ed. Hor. a. 1824. An Eichstadius responderit, ignoro. Gesnerus putat, si versus octo non sint Horatii, antiqui tamen et ingeniosi hominis opus videri. Sed hoc per se non est argumentum neque pro genuinis, neque pro antiquis. Si Muretus v. c. se in MS. aliquo invenisse dixisset et antea incognitos primus edidisset, eum esse auctorem suspicarer. Sed inveniuntur in antiquissima editione Zarottina, et antiquioribus ea MSS. Qua aetate autem MSS. ista conficiebantur, nemo tales versus componere sciebat. Ut ut est, non abhorrent ab ingenio Horatiano et forma Satirarum.

Pervincam. Qui aliquid *pervincet*, hoc se ita demonstraturum esse profitetur, ut omnibus plane persuadeatur. Si Cato versus Lucilii emendare parat male factos, non sequitur, Lucilium poëtam fuisse valde mendosum. Cato enim hic illic errare potuit. Hoc argumentum sane, ut a defensore Lucilii sumtum, probat multum, non usque adeo, ut inde *pervincas*. Pluribus argumentis et verbis praeterea opus erat, quam Horatius nunc utitur. Cato, defensor alioquin Lucilii, versus Lucilii male factos emendat. Hinc pervincam, Lucilium esse mendosum. Argumentatio non Horatiana. Fortasse scripsit: *Lucili, quam sis mendosus, teste Catone, Defensore tuo prope vincam.* Lucilius est poëta mendosus. Hoc fortasse iam ex eo constare possit, quod Cato facere parat.

Hoc lenius ille, Est quo vir melior: longe subtilior illo. Doer. edidit: *quo melior vir adest.* Meinekius annotavit: *„est quo vir melior.* Ita vulgo: nec reiicio propter locum, quem *est* occupat; quod similiter positum habes apud Virgilium XI. Aen. 509. *Sed nunc, est omnia quando Iste animus supra, mecum partire laborem.* At, cum libri fere habeant, *quo melior vir est*, hoc ipsum, cum prorsus ad imitationem Horatianam dictum sit, recipien-

Est quo vir melior, longe subtilior illo,
Qui multum puer est loris et funibus udis
Exhortatus, ut esset, opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc:
Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cetera; nam sic
Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.

dum duxi, ac probavit idem iam Apitzius in Chronolog. Horatii p. 27." Mihi potius scribendum videtur: *Hoc lenius ille, Est quo vir melior, longe et subtilius illo.* Cato quo vir melior est, eo lenius Lucilium defendit, et longe subtilius defendit, quam ille qui pueros in schola hortabatur loris et funibus, ut aliquis exoriretur, qui Lucilium defenderet.

Qui multum puer et loris et funibus udis Exhortatus. Verbum *exhortatus* passive accipiunt. In Cod. Berol. *exoratus*, Glareanus legit *exornatus*, Horkelius ingeniose, *excoriatus*, quod valde placet Meinekio. Conieci: *Qui multum pueros loris et funibus udis Est hortatus.* Qui pueros verberabat, ut ex schola sua aliquis prodiret, qui antiquos poëtas defenderet, isque puer natus patre equite, olim nominandus Grammaticorum equitum doctissimus: igitur doctior Catone, qui et eques et Grammaticus erat. *Hortari loris*, ut Virg. III. Georg. 164. *Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem, Iam vitulos hortare.* *Et loris et funibus*, mihi non placet. Lora et funes non satis differunt, ut sic distinguantur: esset enim, non modo loris sed etiam funibus. Oratio autem longe aptius connecteretur si versus *Grammaticorum equitum doctissimus.* *Ut redeam illuc* abesset: *ut esset, opem qui ferre poetis Antiquis posset contra fastidia nostra. Nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili.* Contra fastidia nostra, fastidia huius saeculi, aliorum et mea: dixi nempe versus Lucilii pede incomposito currere. Hinc mihi fastidium obiiciunt, quasi, qui aliquid in antiquo poëta reprehendit, ideo omnia fastidire censendus sit, nec laudare velit, quod laude dignum videri possit. Vulgo *Grammaticorum equitum doctissimus* refertur ad Catonem. Nimis, puto, remotum. Horatius statim versui tertio potius subiunxisset. Nec satis, mihi quidem, apparet, unde discesserit, quo redeundum sit. *Ut redeam* iam est in *nempe.*

Laberi mimos. Iudicium Horatii de Laberio magis confirmatur ex ignotis adhuc particulis in libris Frontonis, v. c. T. I. p. 24. *Ad amorem iniiciendum delenimenta esse deliberamenta.* Ubi leg. *deleramenta.* Sic ille scribebat pro *deliramenta*, derivans a λῆρος. Ipse M. Aurelius hoc sequitur, p. 70. *deleramenta Musuriana.*

Doderlinus caussam octo versuum ita agit, ut fere non dubitem, quin Horatium habeant auctorem. Hos sic edidit: *Lucili, quam sis mendosus, teste Catone Defensore tuo pervincam, qui male factos Emendare parat versus — hoc lenius ille, Est quo vir melior, longe subtilior illo, Qui mul-*

Ergo non satis est, risu diducere rictum
Auditoris; — et est quaedam tamen hic quoque virtus: —
Est brevitate opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures;
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus, atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res.
Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
„At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis
Miscuit.“ O seri studiorum! quine putatis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti

tum puer est loris et funibus udis Exoratus, ut esset opem qui ferre poëtis Antiquis posset contra fastidia nostra, — Grammaticorum, equitum doctissimus; grammaticorum, equitum doctissimus, pro *et equitum*.

Pulcher Hermogenes. Commentator: „Ironicôs.“ Voluit nimirum, ut *pulchro Critiae*, et ut Graeci, καλὸς utuntur. De Hermogene speciem *pulchri* ridicule affectante, non cogitandum puto.

O seri studiorum! Quine putetis Difficile et mirum. Alia MSS. habent *putatis*. Bentleius defendit *putetis*, loco gemino plane et germano, ut dicit, Terentii Adelph. II. III. 9. *Quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo: festivum caput, Quine omnia sibi postputarit esse prae meo commodo?* et Ovidii loco, quem germanissimum appellat, Fast II. 45. *Ah! nimium faciles, qui tristia crimina caedis Fluminea tolli posse putetis aqua.* Haud operae pretium erat *lepidum caput, qui postputarit*, et *faciles qui putetis* afferre, ad confirmandum *seri studiorum, qui putetis*. Usus iste pronominis *qui*, idem fere atque *cum* significantis, satis superque constabat. Et in Terentio recte ipse Bentl. praetulit *postputarit*, quia sequitur *et transtulit*. Difficultas vertitur non in *seri qui putetis*, sed in *quine putetis*. Bentl. putat *ne* aut παρέλκον esse, aut, quod ei potius videtur, *interrogativum*, certe non confirmativum, ut Prisciano videbatur. Illud παρέλκον nemini, puto, placebit; ut neque Bentleio placuit, quem adeo Ruhnken. ad l. Terentii non laudare debebat, tamquam docuisset *ne* videri abundare. *Quine* semper est interrogativum, et signum interrogationis, saepissime in Latinis et Graecis scriptorum editionibus neglectum, ubique apponendum. In interrogatione sunt varii affectus, praesertim admirantium et indignantium. In Plauto invenias multa exempla: Amphitr. II. II. 60. *Paullisper mane Dum edormiscat unum somnum.* Respondet Amphitruo: *Quaene vigilans somniat?* Catull. Epithal. P. et Th. 182. *Coniugis an fido consoler memet amore? Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?*

Contigit? „At sermo, lingua concinnus utraque,
Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est.“
Quum versus facias, te ipsum percontor, an et quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
Scilicet oblitos patriaeque patrisque, Latine
Quum Pedius causas exsudet Poplicola atque

Coniugis, illius qui fugit? Dionys. Halic. VI. 78. ἢ τοῖς ἀξιώμασι (πιστεύσαντες) τῶν πρεσβευτῶν; οἳ τὰς ἑαυτῶν παρέχονται πίστεις; Per huiusmodi interrogationes aliquid antecedens refutatur, et verbum in tempore praesenti ponitur. Ad istam normam locus Horatii non potest explicari. Posset, si legeretur: *O seri studiorum! Quine putarit Difficile ac mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit?* At Lucilius, dicitis, magnum fecit, putavit se magnam rem fecisse. O vos seri studiorum, tantam ineptiam Lucilio tribuentes. Illene putasset difficile et mirum, quod tam facile sit, ut vel Pitholeonti contigerit? Quid significet *Quine putatis*, mihi haud magis clarum est, quam in Terentio: *Lepidum caput: quine postputavit.* Donatus quidem interpretari nesciit nisi per τὸ παρέλκον ut Commentator Horatium: „*ne* syllaba abundat in sententia.“ Legam potius: *Quin omnia.* Ctesipho dicit: *Illius opera nunc vivo.* Neque hoc ei sufficiebat. *Quin*, quin etiam, imo etiam *omnia sibi postputavit esse prae meo commodo, Maledicta, famam, meum amorem et peccatum in se transtulit.* Plaut. Bacch. II. III. 77. Nicob. *Nae ille, hercle, mihi sit multo tanto carior, Si me illoc auro tanto circumduxerit.* Chrys. *Quin in ipsa aede Dianae conditum est.* Si ibi in MSS. esset *Quodne in ipsa aede Dianae conditum est?* haud mutarem; nam *quin* eodem redit, nempe: aurum illud non facile surripietur; contra, probe asservatur.

Suavior, ut Chio nota si commixta Falerni est. Et Graeci talem comparationem usitabant, unde Lucian. Demosth. Encom. 47. ἐμοῦ τὰ μὲν δεομένου, τὰ δὲ ἀπειλοῦντος, ἁπαλὴν μοῦσαν στερρᾷ κεραννύντος.

Scilicet oblitos patriaeque patrisque Latini, Cum Pedius causas exsudat Poplicola. Ante Bentleium legebatur *oblitus.* Est una de pulcherrimis Britanni coniecturis. Idem *Latini* ex MSS. restituit pro *Latine.* Mihi verum videtur *Latine*, et praeterea legendum: *patriaeque patrumque.* Sic et Sanadonum voluisse video. Illud *Latine causas exsudat* Bentleius vehementer reprehendit. „Non dicit *causas agere;* sed, qua satiram decet metaphora, *causas exsudare.* At vero, quidquid verbo proprio convenit, non idem quoque verbo translato. *Latine causas orare* recte dicitur, *Latine exsudare* portentum plane est, et in ignotas terras deportandum, ubi incolae *Latine* vomunt et *Latine* ventrem exonerant.“ Bentleius, ista scribens, non recordabatur Iuvenalis Satir. VI. 185 sq. *se non putat ulla Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est: De Sulmonensi mera Cecropis? omnia Graece, Cum sit turpe magis nostris nescire Latine. Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas, Hoc cuncta effundunt animi secreta. Quid ultra? Concumbunt Graece.* Insanum Graecos imitandi studium, iam ante Horatium saepe reprehensum, aetate Horatii et post crevit. Apparet vel ex Iuvenale. Loquuntur, ait, Graece, Graece pavent, irascuntur, gaudent, Graece concumbunt. Cur Poplicola caussas

Corvinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
Atqui, ego quum Graecos facerem, natus mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, quum somnia vera:
„In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.“
Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque
Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,

non *exsudet Latine?* Et in *exsudat* ostenditur difficultas omnia Latine exprimendi. Multa longe facilius Graece exprimebantur. Nostri olim caussarum patroni eodem vitio laborabant, semilatine et semifrancice loquentes, non bilingues, sed trilingues. Exemplum Middelgeestii, Petrum Grotium, magni Hugonis filium, defendentis, parum valuit. Et quis novit, quanto sudore illi pulcherrima sua oratio constiterit! Equidem in Satira dicere non vererer: Middelgeestius caussam *Neerlandice exsudavit.*

Verba foris malis. Sententia mihi quidem intellectu esset facilior, si legeretur *malim.* Horatius ita cum admiratore Lucilii disputat: A. Lucilius magnum fecit, quod Graeca Latinis immiscuit. H. Putasne magnum, quod parvum est Pitholeonti? A. At mixtus sermo est suavior. H. In carmine, an et in prosa, cum caussa sit agenda? A. Non sum adeo ineptus, ut Pedium et Messalam esse malim bilingues. H. Atqui Romanum decet abstinere Graecis verbis, non modo in versu, verum etiam omnino non Graecos versus facere. Hoc me aliquando tentantem Quirinus vetuit.

Admirator Lucilii Horatio de lingua utraque in carmine non concessit; parum autem sibi constabat, laudans in versu, quod in prosa valde culpat. Cum Horatius rogasset an, ut in versu, ita et in prosa laudaret Graeca Latinis mixta, responsum sane magis ab illo exspectatur qui rogatus est, quam qui rogavit.

Atqui ego cum Graecos facerem. Graecos versus facere plus est, quam Graeca Latinis verbis miscere. *Atqui* legitur in MSS. quibusdam. Hoc argumentationem melius concludit. *Atque* Commentatorem quoque de via deduxit: „Eleganter se a Quirino prohibitum ait, Graeca miscere Latinae linguae.“

Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona, dumque Defingit Rheni luteum caput. Horatius in *Alpino* poëtam quendam *turgidum* tetigit, nempe Furium Bibaculum, ut iam Bentleius putabat, quia eundem alibi irridet ob versum male natum: *Iupiter hibernas cana nive conspuit Alpes:* ubi lepide pro *Iupiter* ipsum nomen Bibaculi posuit: *Furius hibernas cana nive conspuit Alpes.* Furius isto versu risus iocosque dedit istius aevi poëtis. Iam ex Scholiastis discimus Furium scripsisse carmen de *Bello Gallico.* In eodem carmine *luteum Rheni caput definxisse,* et alia de Rheno, instar panni purpurei, quibus nunc locus non erat, assuisse videtur. Quo tempore Horatius hanc Satiram scribebat, Furius legerat carmen in quo Memnona iugulavit, et in quo luteum Rheni caput definxit. Fueruntne carmina diversa, an idem? Vetus Schol.: „Cornelius Alpinus Memnona Hexametris versibus nimirum descripsit, et belle *iugulat Memnona*

Quae neque in aede sonent certantia, iudice Tarpa,
Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatris.
Arguta meretrice potes Davoque Chremeta

Dilogòs ait: nam dum describit quemadmodum iuguletur, intelligi vult ab ipso potius iugulari." Huiusmodi Scholia nos faciunt incertiores, quam fuimus. Recentiores ulterius progressi, vel Epos *Aethiopidem* excogitarunt, vel Tragoediam *Memnonem*. Difficile est in tantis tenebris aliquam lucem dispicere. Interea *dum iugulat Memnona* et *dum defingit Rhenum* me quidem ad unum idemque Epos de Bello Gallico ducunt. Certius aliquanto hoc a Furio scriptum constat, quam Memnona vel Aethiopidem. Fortasse Horatius eundem Furium respexit Satir. II. 1. 13. *neque enim quivis horrentia pilis Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos — describat*, quasi dixisset: *Alpinus* certe poëta non bene describit; et, si haud melius possum, non facere praestat. Horatius istam Satiram misit Trebatio: Trebatius fuit comes Caesaris in bello Gallico. Neque illi, credo, placebat Epos Furii Bibaculi, neque Caesari Augusto, quamquam fortasse multa de laudibus essent immixta, quas hic quoque in rebus Gallicis mereri diceretur. Furius igitur in eodem carmine iugulavit Memnona et Rheni caput luteum definxit.

Iulius Caesar multa proelia contra Germanos pugnavit. In uno Germanus, quod poëta finxit, quamquam et facile fieri potuerit, ut multis exemplis docemur, Germanus igitur Romanum ad certamen singulare provocavit. Furius certamen inepte et ridicule depinxit. Certamina singularia in bellis olim erant frequentia, ut privata nostra, honoris vindicandi caussa, prorsus incognita. Unum ex antiquissimis erat Memnonis cum Achille, adeoque celebratum, ut fere proverbii loco haberetur. Auctor quidem Belli Hisp. 25. *Illi tamen procul dubio ad congrediendum in aequum locum non sunt ausi descendere, praeter unum Antistium Turpionem, qui fidens viribus, ex adversariis sibi parem esse neminem, agitare coepit. Hic, ut fertur Achillis Memnonisque congressus, Q. Pompeius Niger, eques Romanus Italicensis, ex acie nostra ad congrediendum progressus est.* Si Furius non instituit comparationem Germani militis et Romani cum Memnone et Achille, Germanum nominare potuit *Memnona*, quod ipsum ad aliquod nomen Germanum sono accedit. *Man, men, min*, in multis antiquis linguis *virum* significat. Quam late pateat in lingua Germanorum, qui et *Mannum* inter conditores suae gentis celebrant, nemo ignorat. Hinc *Manno, Menno* et multa in compositis hominum et locorum nominibus.

Arguta meretrice potes. Horkelius locum ita emendandum putat: *Arguta meretrice places Davoque Chremeta Eludente senem, comis garrire, popello Unus vivorum, Fundani*, Non magis laudat *garrire libellos*, quam si quis diceret Virgilium non *arma virumque cecinisse*, sed *libros cecinisse* de Aenea.

Mihi in mentem venit: *arguta in meretrice potes Davoque Chremeta Eludente senem comi garrire labello. In meretrice et Davo*, in persona illorum, in partibus illorum tutandis, ita ut omnis oratio mulieri et servo conveniat. Epist. II. 1. 173. *Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis.* Ovid. Remed. A. 383. *Peccat, in Andromache Thaida si quis agat.* Fundanius in his describendis unus vivorum potest garrire, et garrire suaviter et comiter. Proprie ipse Fundanius est *comis*, ut *comis* Lucilius vs. 53. Poëtae epitheta sic transferre amant; ut *loqui-*

Eludente senem, comis garrire libellos,
Unus vivorum, Fundani; Pollio regum
Facta canit, pede ter percusso; forte epos acer,
Ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenae.
Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem,
Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
Haerentem capiti cum multa laude coronam.
At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
Nil comis tragici mutat Lucilius Accî?

tur ore placido, amico, tristi. Eloquentia, ut Suada, habitat, *sedet* in *ore* et *labris* dicentis. Et ne quis putet minus recte *labellum* poni pro *labro*, cogitet Iuvenalis illud: *digito compesce labellum.*

Pollio regum Facta canit, pede ter percusso. Horatium scripsisse coniicio *regum fata canit. Facta* regum canuntur in carmine epico, *fata* in tragico; fata, calamitates, miseriae, quae regibus acciderunt. Horkelium idem coniecisse video. Apitzius non accipit, quia *facta* constituunt *tragoediam*, non *fata*. Multa de re ista dici possunt, et iam ab aliis dicta sunt. Quaestio minus ad h. l. pertinet, quam quid sententiae loci conveniat. Vel carmen tragicum ita cum epico iunctum, postulat discrimen. Horatius nunquam dixissset: Pollio canit facta regum in carmine tragico, Varius in epico. *Facta* proprium est epico. Horat. Epist. ad Pisones 73. *Res gestae regumque ducumque et tristia bella Quo scribi possent numero monstravit Homerus.* Nemo dixerit *res gestas regumque* ducumque quo scribi possent numero *monstravit Aeschylus:* recte dixerit: *quo numero* fata regumque ducumque, tristia fata, scribi possent, monstravit Aeschylus et Sophocles. *Facta* et *fata* centies confunduntur. Conferatur egregia disputatio Bentleii ad Epist. II. 1. 6.

Doderlinus *facta* tuetur, quibus et *facinora* contineantur.

Nil comis tragici mutat Lucilius Accî? Non ridet versus Ennî gravitate minores? Lucilius igitur in Satiris suis reprehendit Accium et Ennium: cur Horatius Accium nominat tragicum, hoc est *tragoediographum*, ut interpretatur Commentator? Nominari ita non potuit, nisi exstiterit eiusdem nominis poëta, in alio carminum genere excellens, v. c. *comico.* Exstitisse volunt huius Accii patrem Sed in historia literarum Romanarum non ea ratio istius Accii habetur, ut unquam dubitari potuerit, uter Accius nominaretur. Ipse Horatius Epist. II. 1. 56. eum sic ponit inter antiquos poëtas, Ennium, Pacuvium, Afranium. Satis notus erat. Nemo Graecus, sine caussa, Sophoclem appellavit *tragicum*, nemo Romanus Terentium *comicum.* Si, quod alii volunt, idem Accius et comoedias scripsit, minus quoque idonea esset caussa, cur hic *tragicus* appellaretur.

Iam Lucilius *mutat* versus Accii. Qui versus Accii *mutat*, ille corrigit et emendat, meliores facit, ut arbitratur. Ita Lucilius esset Grammaticus, Aristarchus aliquis, vel Cato, qui

Non ridet versus Ennî gravitate minores,

emendare parabat versus Lucilii. Quatenus Lucilium ex fragmentis et iudicio Horatii novimus, minime is erat, qui tale munus recte susciperet. Versus nonnullos Accii parvi aestimare, vituperare, ridere poterat, poterat *mutare;* sed an unum ita mutare sciret, ut emendatior dici mereretur, valde dubito. Multa ei deerant, ingenium, peritia, usus, exempla, quominus hoc rite perageret. Quid esset lente festinare, rem accurate considerare, scribendi laborem ferre, prorsus ignorabat. Qui vitia scriptoris sentiunt, iidem propterea artem corrigendi non possident. Iocari, cavillari facillimum est. Hoc, puto, faciebat Lucilius. Quomodo, mox videbimus.

Idem *ridebat* versus Ennii *gravitate minores.* Commentator: „*minus graves quam oportet.*" Porphyrio: „Non ergo etiam Enni versus ridet, qui minores sunt quamquam dignitatem eius possit assequi." Ubi legendum videtur: *quam qui dignitatem eius possint assequi.* Ridet versus qui sunt minores gravitate Ennii: melius Commentator iungit *versus Ennii, minores graritate. Gravitas* non est virtus, qua Ennius prae caeteris poëtis censetur. Quamquam vel in fragmentis multi versus gravitate conspicui reperiuntur, veluti *belli ferratos postes* caetera, et multi alii sine dubio reperirentur, si scripta integra ad nos pervenissent, Annales v. c. unde Livius initia Historiae suae ita ornasse videtur, ut multa disiecti poëtae membra in iis appareant. Quamquam igitur Ennius *gravitate* minime fuit destitutus, multa tamen carmina composuit, in quibus *gravitas* non laudi, sed vitio duceretur. Quare Lucilius sic dici non potest versus minus graves *risisse.*

Fortasse Horatiana melius intelligerentur, ita concepta: *Nil comis tragici mutat Lucilius Enni? Non ridet versus Acci gravitate minores?* Lucilius comi genere dicendi garriens, Ennium, saepe, etiam extra tragoediam, tragico more fortius loquentem et tumentem, mutat: *tragicus* figurate, ut Graecis τραγικὸς, τραγωδεῖν. Ennius, iudice Lucilio, ibi, ubi locus non erat, interdum proiicit ampullas, tragice ampullatur. Hos versus *mutat*, aliud verbum alii substituit, pleraque servat, atque ita mutat, ut versus in ridiculum detorqueantur, παρῳδεῖ. Ratio Graecae parodiae ex Comicis discitur, Latinae exempla animadverti nonnulla in Plauto. Notum illud Terentii Eunuchi III. v. 42. *at quem Deum! qui templa coeli summa sonitu concutit.* Ubi Donatus: „Παρῳδία de Ennio. Sententia tragica, sed de industria, non errore." Omitto alia, quae in Satiris Romanis et Epigrammatis inveniuntur. Ipse Horatius dedit *exempla.* Ineptus poëta Furius dixerat: *Iupiter hibernas cana nive conspuit Alpes*, Horatius, versu *mutato, Furius hibernas cana nive conspuit Alpes.* Plura ex Horatio non addam, sed omittere non possum, quae leguntur in Vita Virgilii: „Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. Nam ne Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime παρῳδήσας, quarum prioris initium est: *‚Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?* sequentis: *Dic mihi, Damoeta; cuium pecus, anne Latinum? Non, verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.* Alius, recitante ea ex Georgicis: *Nudus ara, sere nudus:* subiecit, *habebis frigora, febrem.*" Lucilium tali modo egisse in Ennio, intelligi poterit ex annotatione Servii ad Aen. XI. 601. *late ferreus hastis Horret ager.* „Versus Ennianus vituperatus Lucilio dicenti per irrisionem debuisse eum dicere: *horret et alget.* Unde Horatius

Quum de se loquitur, non ut maiore reprensis?

de Lucilio: *Non ridet versus Enni gravitate minores.*" Verba *debuisse eum dicere* sunt eiicienda, quippe ex altero Scholio huc illata, ut centies in Scholiis istis accidit. Ennius dixerat: *late ferreus hastis Horret ager.* Lucilius per irrisionem dixit: *Horret et alget ager.* Lucilio non placebat *ferreus:* mutavit versum, addito *et alget;* ambigue, nam quod *ferreum* est *alget*, et versus *alget*, frigidus est.

Qui versus Ennii sic mutabat, idem versus Accii ridebat, quos gravitati tragicae parum respondere arbitrabatur. Animadverte autem, contraria et opposita sibi scribendi genera, Ennii orationem tragicam in Annalibus, Accii humilem in tragoediis. *Mutare* et *ridere* idem significant. *Gravitate minores* Commentator interpretatur „*minus graves quam oportet.*" Porphyrio: „qui minores sunt, quamquam dignitatem eius possit assequi." Seu, ut emendavi: *qui minores sunt, quam qui dignitatem eius possint assequi.* Si versus reprehensi sunt *minores gravitate*, dignitatem poëtae non assequi possunt, sunt inferiores caetera gravitate. *Gravitas* verborum propria est tragoediis, erat inprimis Accio. Iam Pacuvius, cui *Atrea* legebat, *sonora et grandia in ista tragoedia agnoscebat*, teste Gellio N. A. XIII. II. *Accius atque Pacuvius*, ait Quintil. Instit. Orat, X. I. 97. *clarissimi gravitate sententiarum, verborum pondere, et auctoritate personarum.* Ovid. I. Amor. XV. 19. *Ennius arte carens, animosique Accius oris.*

Cum de se loquitur non ut maiore reprensis. Commentator: „Non tamquam maior sit his, quos reprehendit." Acro: „quando de se loquitur, non sic dicit quasi melior sit illis poëtis, quos ipse reprehendit." Porphyrio: „cum ita sua ostentat scriptaque Enniana reprehendit, ut non tamen Ennio se praeponat. Per quae vult intelligi Horatius et sese ita Lucilii versus reprehendisse, ut non tamen se ei anteponat." Vere, puto. In hac autem sententia *loquitur* in altero membro repetendum est: cum de se loquitur, loquitur non ut de maiore. Lucilius ipse agnoscit se non maiorem, sed minorem, et facilius esse reprehendere, quam emendare. Idem erat iudicium Ovidii Epist. ex Ponto III. IX. 15. seqq. *Non eadem ratio est, sentire et demere morbos; Sensus inest cunctis: tollitur arte malum. Corrigere at res est tanto magis ardua, quanto Magnus Aristarcho maior Homerus erat.* Alii, ut iam Gesnerus, legunt: *Cum de se loquitur, non ut maiore reprensis?* i. e. cum de se loquitur Lucilius, ita loquitur tamquam de maiore iis, quos reprehendit. Lucilius ita, locutus de Ennio, de se loquens, diceret: *maior sum Ennio.* Tam vanus et ineptus non erat, neque sic notus ex Horatio. De sententia non dubito, sed an Horatius eam istis verbis expressisset, hoc dubito. Multo clarius et magis Latine expressisset: *Cum loquitur de se, ut de non maiore reprensis.*

Doderlinus quoque in vulgata scriptura trium versuum explicanda haeret: *mutat* pro *reprehendit* ei non placet. Cogitabat de verbo mutando in *mordet*, accipere tamen malebat de *parodia.* Lucilius, ait, comis ipse oratione, longe diversus a tragica, orationem Accii, interdum plus quam tragicam, ridet in parodia, dum eam in comem et vulgarem transmutat; Ennium contra ridet tamquam nimis humilem et pedestrem, et sono epici carminis destitutum. Tum legit: *Non ridet versus Enni gravitate minores? Cum de se loquitur non ut maiore reprensis?* Cum loquitur de se, non loquitur tamquam de maiore reprensis?

Quid vetat et nosmet Lucilî scripta legentes
Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
Versiculos natura magis factos et euntes
Mollius, ac si quis, pedibus quid claudere senis,
Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
Ante cibum versus, totidem coenatus? Etrusci
Quale fuit Cassî rapido ferventius amni
Ingenium, capsis quem fama est esse librisque
Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
Comis et urbanus, fuerit limatior idem,
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,

Quale fuit Cassi rapido ferventius amni Ingenium. Horat. Carm. IV. II. de Pindaro, qui *Fervet immensusque ruit profundo ore.* Attuli, ut fortasse emendarem Vell. Paterc. II. 105. *Intrata protinus Germania, subacti Caninefates, Attuarii, Bructeri, recepti Cherusci, et inamnimus, mox nostra clade nobilis transitu Visurgis.* Coniicio: *immensi amnes, et mox nostra clade nobilis, transitus Visurgis.* Alii aliis modis ista tentarunt; *transitus* iam est Rhenani.

Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor. Hi de Ennio, illi de Lucilio dictum putant. De Lucilio verum mihi videtur. Et hoc Meinekius defendit, ut defenderat C. F. Hermannus in libello Academico, qui interpretabatur *quam* idem esse atque *quam pro eo quod.* Meinekius non laudat, accipiens, Lucilium, quem Horatius limatiorem fuisse dicere volebat, quam ab inventore rudis Graecisque intacti carminis exspectari possit, se ipso, novi generis auctore, limatiorem fuisse, dici potuisse. Fortasse simplicius erat: *Quam rudis et Graecis qui intacti carminis auctor,* quam esse debuit, potuit, esse solet, est, qui novum carminis genus, idque a Graecis intactum, primus elaboravit.

Doderlinus putat auctorem *rudis carminis* eum esse, qui primus Fescenninos versus cecinit.

Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum. In aliis *delatus* et *delapsus.* Talia saepe in MSS. confunduntur, v. c. Lucan. X. 433. *vixitque Pothini Munere Phoebeos Caesar dilatus in ortus.* Ubi in Berol. *delatus.* Non idem, puto, significant *dilatus* et *delatus.* Discernere conabor. Nasci debebat inventor Satirae Romanae, nomine Lucilius: quando, homines nesciunt. Dies Lucilii natalis a fato constitutus est. Fatum voluit eum plus quam saeculo ante hoc aevum vivere. Si diem natalem Lucilii, si Lucilium hoc aevo vivere voluisset, ille a fato in hoc aevum fuisset *dilatus.* Omne id, quod in homine vel re aliqua fieri debet, nec statim fit, non statim repraesentatur, hoc in homine et re *differri,* ipse homo et res *differri* in aliud tempus dicitur. Ex huiusmodi formula exempla iudicari possunt, quae Oudend. ad Sueton. Caesar. 82. et alii ad alios scriptores attulerunt. Locutio variata est a Claudiano De Laud. Stil. II. 454. *In quem distulimus melioris saecla metalli Consul adest,* quod idem est atque quem *distulimus in saecla.* Quid autem *delatus?* Ab ista

Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
Scripturus, neque, te ut miretur turba, labores,
Contentus paucis lectoribus. An tua demens

voce sententiam quandam, loco Horatiano minus aptam, separare non possumus. Gesnerus annotavit: „Nulla propositarum lectionum (dilatus, delatus, delapsus) vel auctoritate vel ratione caret. *Dilatus* tamen mihi dignitatem quandam habere videtur." In ista viri praestantissimi annotatione est aliquid, non satis. *Dilatus* in hoc aevum significare potest aevum seu melius seu peius, prout sententia postulat. In Horatio postulatur melius, limatius. *Delatus* significaret *peius*, quod sententia respuit. „*Delati*, ait Serv. ad Virg. Aen. III. 219. necessitatis est, nam voluntate aliquo non deferimur, sed venimus." Inviti adeo *deferimur*, quasi cursu deiecti, detrusi, quod verbo attigit Ruhnken. ad Vell. Paterc. I. 1. Recte v. c. Horatius *defertur* in aevum Claudiani, ut conditione et tempore inferioris; Lucilius non recte in aevum Horatii, tempore tantum inferioris, sed propterea non peioris. Si quaeritur tantum de tempore, alia erant verba et phrases, quibus exprimeretur. Ut in dialogo de Causs. Corr. Eloq. 41. *Si aut vos prioribus saeculis, aut isti, quos miramur, his nati essent, ac Deus aliquis vitas vestras, vestra tempora mutasset.* Calpurn. Eclog. VII. 74. *felix, quod in haec tibi saecula primus Indulgente Deo demittere contigit annos.* Cum verbo *differri* in multis conveniunt *servari*, *reservari* in hanc rem, huic rei, ut Graeca ἀναβάλλεσθαι, τηρεῖσθαι, φυλάττεσθαι εἰς τοῦτο. Hinc explicandum puto Act. Apost. XXV. 21. Τοῦ δὲ Παύλου ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν. Paulus appellabat, ut sua caussa servaretur, differretur ad cognitionem Augusti. Et in eodem capite vs. 4. Ὁ μὲν οὖν Φῆστος ἀπεκρίθη τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον εἰς Καισάρειαν, ἑαυτὸν δὲ μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι. Ita Tischend. et alii recte ex MSS. pro ἐν Καισαρείᾳ ediderunt. Significatio autem valde diversa est. Paulus τηρεῖται εἰς Καισάρειαν est, Paulus, caussa Pauli servatur, differtur in Caesaream, iudicabitur Caesareae, quo Festus brevi esset profecturus. Plinius Epist. X. 85. *Postulavitque ut cognoscerem pro tribunali. Quod cum ego me protinus facturum, prolaturumque profectionem dixissem, ut longiorem diem ad instruendam caussam darem, atque in aliam civitatem cognoscerem, petiit.* Illud cognoscere *in aliam civitatem*, significat proficisci in aliam civitatem, ut ibi cognoscerem. Sic Actor. XXIII. 11. εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι. Diod. Sicul. Fragm. lib. XXI. p. 55. Δημητρίου φυλαττομένου εἰς Πέλλαν.

Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint Scripturus. Recte Acro: „si vis scribere ea quae mereantur legi, saepe stilum fac vertas, ut adhibeas lituram male scriptis." Post *mereantur* excidit, puto, *iterum*. Alii iungunt *iterum scripturus*. Sed ea notio iam est in *stilum vertas*. *Iterum*, bis, decies bona et optima carmina leguntur. Notum est Platonis δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά, et Horatii *decies repetita placebunt*.

Doderlinus quoque iungit *iterum legi*.

Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego; nam satis est, equitem mihi plaudere, ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius, aut cruciet, quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis laedat conviva Tigellî?
Plotius et Varius, Maecenas Virgiliusque,
Valgius, et probet haec Octavius optimus, atque
Fuscus, et haec utinam Viscorum laudet uterque!
Ambitione relegata te dicere possum,
Pollio, te, Messala, tuo cum fratre, simulque
Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
Complures alios, doctos ego quos et amicos
Prudens praetereo, quibus haec, sint qualiacumque,
Arridere velim, doliturus, si placeant spe
Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli,
Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

Probet haec Octavius optimus. Quamquam hoc non ex nostris moribus iudicandum sit, nomen tamen Augusti sic inter Valgium et Fuscum poni, miror. Recte viri docti alium Octavium significari iudicant. Quod Bentleius distinguit: *Probet haec Octavius, optimus atque Fuscus*, mihi propterea non arridet, quod lusus videri possit in nomine *Fusci Aristii*, Horatio tam indignus, ut vel species vitanda esset.

Discipularum inter iubeo plorare cathedras. Horatius acerbissime invehitur in inimicos, a quibus absens vellicabatur. Hi erant poëtae ludimagistri. Demetrius et Tigellius habebant *discipulas*, ita dictas, ut *Pediacia* pro *Pediccio*. Miseram scholarum conditionem et imminens undique pudicitiae periculum Horatius significavit in Satir. I. VI. 81. *Ipse mihi custos incorruptissimus omnes Circum doctores aderat.* Ipse pater curam pueri nec paedagogo nec magistris committere audebat. Dixi ad h. l. nonnulla de moribus turpissimis. Hic praeterea affero Epigramma ex Anthol. Latin. Burm. T. I. p. 453. idque eo lubentius quia fortasse melius interpretari scio, quam Burmannus fecit: *De Ludi Magistro. Indoctus teneram suscepit Calculo pubem, Quam cogat primas discere literulas. Sed quum discipulos nullo terrore coërcet, Et ferulis culpas tollere cessat iners: Proiectis pueri tabulis Floralia ludunt. Iam nomen ludi rite magister habet.* Acumen Epigrammatis hoc esse videtur: Magister accepit nomen *Flori*, quia in schola ludi Floralia a pueris ludebantur. De festo obscoeno omnia nota, vel ex Martiale I. 36. *Quis Floralia vestit, et stolatum Permittit meretricibus pudorem?*

Heindorfius inter *discipulas* pueros quoque cogitari putat, nempe *molles*.

Q. HORATII FLACCI

SATIRARUM

LIBER SECUNDUS.

SATIRA I.

„Sunt, quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera, quidquid
Composui, pars esse putat, similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, praescribe.“ „Quiescas.“ „Ne faciam, inquis,
Omnino versus?“ „Aio.“ „Peream male, si non
Optimum erat: verum nequeo dormire.“ „Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus.“ „Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos

SATIRA I.

Verum nequeo dormire. Tanta cupiditate versuum faciendorum ardeo, ut dormire non possim prius quam cupiditatem istam quotidie expleverim. Iuvenal. Satir. III. 278. *Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit, Dat poenas, noctem patitur lugentis amicum Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus: Ergo non aliter poterit dormire. Quibusdam somnum rixa facit.* Ut Horatii locum ita accipiamus, suadet vs. 10. *Sed si tantus amor scribendi te rapit.*

Fracta pereuntes cuspide Gallos. Commentator: „qua vulneratus erat hostis, ut Virgilius: *Et venit adversi in tergum Sulmonis ibique Frangitur.* Ex historia de Mario hoc sumtum est. Nam Marius adversus Santonas talia tela commentus est, ut fracta mitterentur, ne remitti ab hostibus possent.“ Versus Virgilii sunt Aen. IX. 410. sq. *toto connixus corpore ferrum Coniicit. Hasta volans noctis diverberat umbras Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.* Eodem modo Galli pereunt a Romanis, hastam tanta

Aut labentis equo describat vulnera Parthi.“
„Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.“ „Haud mihi deero,

vi coniicientibus, ut ferrum pectoribus infixum frangeretur ligno fisso, lignum a ferro divideretur. Atque ita Acro: „*Fracta*, quia vulneratus est hostis ut *et venit* sq.“ Quod Commentator de Mario addit, aliam interpretationem monstrat. Plutarchus in Mario XXV rem describit: λέγεται δ' εἰς ἐκείνην τὴν μάχην πρῶτον ὑπὸ Μαρίου καινοτομηθῆναι τὸ περὶ τοὺς ὑσσούς. Τὸ γὰρ εἰς τὸν σίδηρον ἔμβλημα τοῦ ξύλου πρότερον μὲν ἦν δυσὶ περόναις κατειλημμένον σιδηραῖς. τότε δὲ ὁ Μάριος τὴν μὲν, ὥσπερ εἶχεν, εἴασε, τὴν δ' ἑτέραν ἐξελὼν ξύλινον ἧλον εὔθραυστον ἀντ' αὐτῆς ἐνέβαλε, τεχνάζων προσπεσόντα τὸν ὑσσὸν τῷ θυρεῷ τοῦ πολεμίου μὴ μένειν ὀρθὸν, ἀλλὰ τοῦ ξυλίνου κλασθέντος ἥλου, καμπὴν γίνεσθαι περὶ τὸν σίδηρον, καὶ παρέλκεσθαι τὸ δόρυ διὰ τὴν στρεβλότητα τῆς αἰχμῆς ἐνεχόμενον. Hoc Marii inventum poëtae nostro ante oculos fuisse haud crediderim: sic enim scripsisset *fragili pereuntes cuspide Gallos*, potius quam *fracta*. Gesnerus aliquid sensisse videtur, cum verba Commentatoris corrigat, pro *ut fracta mitterentur* legens *ut missa frangerentur*. Funkhanellus interpretatur Gallos, quorum telum praecipuum esset *hasta, gaesum*, sentire, ea fracta sibi esse pereundum. Doderlinus hanc interpretationem laudat.

Attamen et iustum poteras et scribere fortem. Quomodo *fortem* nisi in bello? Ad bella canenda Horatio vires deerant. Quid, si rebus bellicis accederent in pace gestae? Onus oneri. Interpretes *fortem* accipere coguntur tamquam *generosum*, recte, honeste, strenue agentem. Sententia, credo, unice designat *fortem bello, iustum pace*. Trebatius Horatio suadet, ut exemplum Lucilii sequatur. Quid Lucilius? Scripsitne Scipionem in utroque vitae genere? Minime vero. Commentator: „Si non potes gesta Caesaris scribere, at potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius vitam Scipionis privatam descripsit, Ennius vero bella.“ Trebatius Horatio auctor est, ut illud faceret. Lego: *Attamen et iustum poteras describere, fortem Scipiadam ut sapiens Lucilius*. Caesar Augustus non tantum est vir fortis, verum etiam iustus. Sume materiam carminis iustitiam fortis Augusti, ut Lucilius sumsit *fortis Scipionis: ipsam fortitudinem* relinque alteri, ut Lucilius reliquit Ennio. Horatius dixerat: *quivis non describit vulnera Parthi;* ergo et melius sequitur poteras *describere*, quam *scribere*. Idem verbum in re tali repetitur. Ita Satir. II. II. 130. *nos expulit ille — illum nequities expellet.* Multa annotavi ad Horat. Carm. IV. II. Adde Oudend. ad Sueton. Caesar. 38. In Livio XXV. 38. *Non lamentis lacrimisque tanquam exstinctos prosequi, vivunt vigentque fama rerum gestarum.* recte, puto, Lipsius emendavit: *vivunt viventque*, quamquam Gronovius non opus esse iudicat. Hinc emendandus Minut. Felix. in Octav. p. 256. *Naturale enim est, et odisse quem timeas, et quem metueris infestare.* Legendum *timueris*. Caeterum annotatio Commentatoris sic legenda est: „Si non potes gesta Caesaris et fortitudinem scribere, at potes iustitiam.“

Haud mihi deero, Quum res ipsa feret. Ita tempus indicatur, quod nec possumus nec debemus negligere, nisi nobis deesse velimus. Terent. Andr. III. III. 18. *Imo ita volo, itaque postulo, ut fiat, Chreme: Neque postulem abs te, nisi ipsa res moneat.* Adelph. IV. VII. 12. De. *Quid nunc futurum est?* Mi. *id enim, quod res*

Quum res ipsa feret. Nisi dextro tempore Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem;
Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus."
„Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem,

ipsa fert: Illinc huc transferetur virgo. Hinc illa historicorum, ut Sallustii Catil. V. *Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere.* Ubi similia annotavit Cort. Adde Oudend. ad Appul. Metam. IV. p. 247. *Res ac tempus ipsum locorum et speluncae illius, quam latrones inhabitabant, descriptionem exponere flagitat.* Est adeo in formula notio quaedam necessitatis, ab hoc loco alienae. Augustum non valde amat, qui se in eo laudando sibi non defuturum profitetur, *si res ipsa feret*, res ipsa admonebit, hortabitur, incitabit, volentem nolentem coget. Trebatius cupiebat, ut, si *fortem* Augustum praedicare non posset, eum praedicaret iustum. Hoc facerem, inquit Horatius, si tempus esset opportunum, et verba mea per attentam aurem irent. Nunc illud tempus non est. Exspectabo igitur, donec *res ipsa* hoc ferat, ut Augustum laudare possim ac debeam. In eo, ut dicebam, non cernitur studium et cupiditas, quae in Horatio exspectatur. Haud sibi deesse debet, simul atque *res feret*. Legendum puto: *Haud mihi deero Quum res ista feret. Ista, illud*, o Trebati, quod a me petis: *feret*, patietur, permittet, quum se ista dabunt. Ineptum et stultum est dicere: *haud mihi deero, si res ipsa feret.*

Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus. Interpretes comparationem duram et inhonestam putant. Ipse Bentleius ex MSS. praetulit modos subiunctivos indicativis *palpare recalcitrat*, qui sunt in aliis MSS. Hoc de Caesare nimis familiariter dictum arbitratur, ac paene contumeliose. Nihil, credo, in comparatione, praesertim in Satira, quemquam offenderet, si legeretur: *Cui male equus palpare recalcitrat, undique tutus.* Equus, cui male, tempore non opportuno quis palpatur, nolenti igitur et invito palpatur, recalcitrat, et undique cavet, ne tangatur: palpaturo undique calces intentat. Equo palpari solent, ut v. c. in pratis pascenti frena iniiciant eumque capiant. Commentator: „Si quis ficta adulatione aggrediatur Caesarem, repugnat, contemnit et respuit, nec se decipi patitur." *Cui male equus* et *cui male equo* perinde est Vide Bentl. ad Satir. II. II. 59.

Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem. Apitzius versum eiiciebat, quia Trebatius non putare potest, Satiram Horatii solum consistere in Pantolabo scurra Nomentanoque nepote proscindendo. Nec tota Roma, scurra quodam et nepote vellicato, in timorem coniicitur. Et mihi olim versus esse intrusus videbatur, fictus ad exemplum Satir. I. VIII. II. *Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.* Post *laedere* cogitabam *homines, aequales, Romanos*, qualia substantiva saepe omittuntur. Sed re amplius perpensa sententiam mutavi. Trebatius, puto, respexit ipsum illum versum Horatii de Pantolabo et Nomentano in Satira I. VIII. Rectius est, inquit, Caesarem, si non potes fortem, at iustum laudare, quam scurras et nepotes laedere, quam satiras scribere, et irritare v. c. Pantolabum et Nomentanum, ut irritasti. *Quanto rectius hoc* ita supplenda sunt: Quanto rectius laudare Caesarem: non bene sequeretur; *quam tristi laedere versu.*

Doderlino quoque Trebatius hunc

Quum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.
„Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti numerusque lucernis;
Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis: quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia; me pedibus delectat claudere verba

versum exempli caussa ex Satir. I. VIII. II. mutatis mutandis citasse videtur.

Cum sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit. Quid, quem odit? Dicunt versus tristes, tristiumque versuum auctores. Raro vidi orationem sic contortam, et ellipsin duriorem. Legendum puto: *Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem? Quem sibi quisque timet, quamquam est intactus, et odit.* Trebatius admonitionem de non scribendis Satiris sententia concludit. Homines ne laede tristi versu, ut laesisti scurram istum et nepotem. Omnibus aliis, quocunque vitio laborantibus, metum iniicies. Qui, quamvis intacti, te metuent, iidem te odio persequentur. Quem quisque timet, eum et odit. Quales sententiae a P. Syro et aliis proferebantur, ut v. c. *Necesse est multos timeat, quem multi timent.* Et Caligula, teste Suetonio, usurpare solebat illud tragicum: *Oderint dum metuant.* Ennius apud Ciceron. Offic. II. 7. *Quem metuunt oderunt: quem quisque odit, periisse expetit.* Unde Ovid. Amor. II. II. 10. *Quem metuit quisque, perisse cupit.* Minut. Felix Octav. p. 255. *Odium nostri ferunt occulte per timorem. Naturale est enim et odisse, quem timeas, et quem metueris, infestare, si possis.* Vell. Paterc. II. 57. *Laudandum experientia consilium est Pansae atque Hirtii, qui semper praedixerant Caesari, ut principatum armis quaesitum, armis teneret. Ille dictitans mori se quam timeri malle, dum clementiam, quam praestiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est.* Oudend. ad Sueton. Caesar. 86. corrigit *timere*, laudante Ruhnkenio. Ego non laudem. Sententia enim repugnat. Qui principatum armis tenet, ille vult *timeri*, et *timetur*. Verba Suetonii et Plutarchi aliam habent sententiam. Suetonius: *Alii e diverso opinatum, insidias undique imminentes semel subire satius esse quam cavere semper.* Plutarchus: εἰπὼν ὡς βέλτιόν ἐστιν ἅπαξ ἀποθανεῖν ἢ ἀεὶ προσδοκᾷν. Apud Velleium respondet Caesar Hirtio et Pansae, *se nolle timeri*, ut viveret; apud Suetonium et Plutarchum dicit, *se nolle vivere*, ut semper timeret.

Doderlinus annotavit: „Coniecturam meam *quem* pro *quum* in textum recepi. *Odi* vix sine obiecto stare potest Quem quisque sibi timet, hunc quisque odit, etiam non laesus: respicitur notum illud *oderint dum metuant*. Constructio similis in Iuvenal. VI. 17. *Quum furem nemo timeret Caulibus aut pomis.* Liv. I. 9. *Tantam molem sibi ac posteris metuebant.*"

Ut semel icto Accessit fervor capiti numerusque lucernis. Apparet agi de ebrietate in convivio. Iam in *ictus* est subitum aliquid, ut *ictus fulmine, furore, metu* sim. quod minus apte ad summum illum hilaritatis gradum refertur. Milonius, dum non sobrius saltat, lentius captus est, quam ut fervor *icto* capiti accesserit. Et *ictus* iam significat non sobrium, ut non opus sit *accedere* fervorem. Recte v. c. apud Plaut. Casin. III. v. 15. *haec meraclo Se uspiam percussit flore Libyco.* Fortasse legendum: *Ut semel uncto Accessit fervor capiti.* Caput *unctum*, ut in hilari coena. Horat.

Lucilî ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque, si male cesserat, umquam

Epist. I. XVII. 11. *Si prodesse tuis, paulloque benignius ipsum Te tractare voles, accedes siccus ad unctum.* Auctor Carm. II. XI. 17. *nardo Potamus uncti.*

Lucili ritu, nostrum melioris utroque. Interpretantur melioris *natalibus et censu, simplicioris*, sim. Universe potius accipiendum, ut Lucretii illud III. 1038. *Lumina suis oculis etiam bonus Ancu' reliquit. Qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.* Lucilius, inquit Horatius, in multis, omnibus rebus, tibi et mihi praestat. Quare non est, cur ego illum non imiter, nec tu me ab illo imitando deterrendum putes. Praestantia Lucilii mox etiam in eo ostenditur, quod an notare solebat, quidquid bene, quidquid male fecisset. Comparatio ista aliquid proverbiale habet. Nota sunt Homeri χερείονα, ἀμείνονα καταπίφνων. Plaut. Epid. III. IV. 10. *Strenuiori deterior si praedicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidae.* Liv. XXVI. 15. *Ut gloriari possis, multo fortiorem, quam ipse es, virum abs te occisum esse.*

Ille velut fidis arcana sodalibus olim Credebat libris. Quid *olim* hic significet, mihi non apparet. Tam otiosum videtur, ut versui tantum explendo appositum dicas, et abesse potius malles. Horatianum erat: *Ille, velut fidis qui arcana sodalibus olim, Credebat libris.* Quod saepe aliquis facit, ut arcana fidis sodalibus credat, hoc Lucilius faciebat libris, ut iis sua arcana crederet, ibique deponeret. Utriusque loquendi formulae exemplum est in Satir. I. I. 23 sq. *Ne sic percurram, ut qui ioculatoria:* et, *ut pueris olim dant crustula blandi doctores.*

Acro annotavit: „Hoc Lucilius ex Anacreonte Graeco traxit et Alcaeo lyricis, quos ait Aristoxenus libris propriis vice amicorum usos esse." Legendum videtur: „Hoc Lucilius ex Gracco traxit; Anacreonte et Alcaeo lyricis." Ita loquuntur Scholiastae, ut v. c. Porphyrio ad vs. 42. „Tractum ex Graeco hoc: ὦ ἀπόλλοιτο."

Neque si male gesserat usquam Decurrens alio, neque si bene. Gerere, absolute, pro *rem gerere* non est Latinum; si absolute poni videtur, *res* ex antecedentibus facile cogitando repetitur. Qui contrarium defendebant, utebantur loco Ciceronis de Fin. V. 19. *Quid, quod homines infima fortuna, nulla spe rerum gerendarum, opifices denique, delectentur historia? maximeque eos videre possumus res gestas audire et legere velle, qui a spe gerendi absunt confecti senectute?* Ibi *res* e commate praecedente, ut iam Bentleius animadvertit, subintelligitur. Atque hinc fortasse explicanda sunt illa Sallustii Iugurth. 85. *At ego scio, Quirites, qui, postquam consules facti sunt, acta maiorum et Graecorum militaria praecepta legere coeperint: homines praeposteri. Nam gerere, quam fieri posterius, re atque usu prius est.* Cortius ex *consules facti* repetit *consulatum, fieri consules:* ego ex *acta maiorum* repeto *acta, res gestas.* Illi, ait Marius, praeposteri, faciunt poste rius id, quod re atque usu prius est. Antea Consules creantur, quam aliquid egerint, quo ostenderunt se consulatum mereri. Nisi tale aliquid ex sententia elici possit, *gerere* est vitiosum, et ab optimis interpretibus correctum, ut in Liv. XXV. 22. et XL. 57. ubi legebatur *prospere gererent* et *prospere gessissent*, inserto *rem*, ut a praecedenti syllaba interceptum. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 102. utitur

Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Appulus, anceps:

his exemplis, ad confirmandam similem emendationem Heinsii in Velleio, et sordes istas cadentis Latinitatis in bonis scriptoribus non esse tolerandas iudicat. Horatius igitur non scripsit *si male, si bene gesserat*. Potuisset ex more Latino: *Neque rem male gesserat usquam Decurrens alio, neque si bene*. Ubi in priore membro ex sequenti repetitur: *neque si rem bene gesserat*. Sed illud sententiae, quae hic requiritur, non conveniret. Bentleius cum Lambino reposuit *cesserat*, in quibusdam editis inventum et ab Heinsio commendatum, et illud interpretatur: nusquam alio, praeterquam ad libros decurrens, seu bene ei cesserat *in scribendo*, seu male. Quovis ille die scribere amabat, sive aptus tum ad studium, seu, ut saepe usu venit, ineptior, seu Musis faventibus, seu aversis. Vix credo Horatium ista de Lucilio fuisse dicturum. Nam qui Lucilium ita reprehendit, ut Horatius eum reprehendit, is ponere non potest, talem poëtam unquam putasse, Musas sibi non favere. Ducentos saepe versus stans pede in uno faciebat. Aptus ad studium an minus aptus esset Lucilius, versus nascebantur, inque libros referebantur. Atque ita poscebatur magis *cederet* quam *cesserat*. Illud *cesserat* vulgo exponebant: sive quid ei male evenerat, sive prospere, chartis suis committebat. Ad haec Bentleius: „nempe hoc pacto eadem redit sententia, quam Cruquius Torrentiusque volunt.“ Cruquius an sic voluerit, dubito. Annotavit: „*Neque si male gesserat*. Sic habent omnes scripti Codices, et existimo non esse inferiorem altera lectione, quae habet *cesserat*. Nam ex eo, quod quis bene vel male gessit, eius vita laude vel vituperatione digna censenda est, non item, si quid cui vel *bene* vel *male cedat*, quod fortunae potius quam personae adscribi debet; ut omittam τὸ *cesserat* non satis apte posse accommodari τῷ *arcanis*, quae *bene* gesta vitam commendant, contra, *si male*.“ Differunt scilicet: ea res mihi *male cessit*, et eam rem *male gessi*. Difficultas in eo vertitur, quod *male gessi* non absolute ponitur. Mihi legendum videtur: *neque se male gesserat usquam Decurrens alio, neque si bene*.

Lucilius faciebat fere, quod faciebant Pythagoraei, qui non dormiebant, nisi se ipsi interrogassent: πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη: sic, ait poëta: δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ, τέρπου. Si te male gesseris, dole, si bene, gaude. Haec ille in libros transferebat, arcana ista, quae alii amicis fidelibus, credebat libris. Hinc igitur omnis vita Lucilii cognoscitur, seu recte seu secus quid egisset, quibus virtutibus modeste gaudere posset, quae vitia reprehendere deberet. Si quid ei prospere seu infeliciter cesserat, hoc non pertinet ad *arcana*, et alii quoque cognoscunt, Lucilio tacente. Horatius in eo Lucilium imitatur. Credit Sermonibus et Epistolis arcana, virtutes et vitia, laudat se et vituperat, quod alii non faciunt, nisi apud aures fidelium amicorum. Appareret, credo, Lucilium ita egisse, si scripta haberemus integra. Contrarium ex Fragmentis probari non potest.

Lucanus an Appulus, anceps. Cur ista de se adiecit? Vult, credo: Venusinus sum, unus de colonis, in confinia Lucaniae et Appuliae missis, ut bellum arcerent, non inferrent. Ergo ensem in vagina teneo, si non iniuste provocor.

Dodcrlinus: „Ego, natus Venusiae,

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus,
Missus ad hoc, pulsis, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
Sive quod Appula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis
Vagina tectus; quem cur destringere coner,
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iupiter, ut pereat positum rubigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me commorit, melius non tangere clamo,
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albutî, quibus est inimica, venenum,

colonia militari, gente adeo bellicosa, pacis tamen amans sum; neminem aggrediar, nisi lacessitus." Rauchensteinius fere interpretatus erat, ut ego.

O pater et rex Iupiter, ut pereat positum rubigine telum. Est Callimachi, ut notum: Ζεῦ πάτερ, ὡς Χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος, redditum a Catullo: *Iupiter, ut Chalybum omne genus pereat.* Illi bellum universe sic detestantur. Horatius alio modo ista in rem suam convertit. Telum, ensis; telum positum, ensis vagina tectus, pereat rubigine. In eo *positum* mihi satis supervacuum videtur. Longe melius: *Iupiter, ut pereat potius rubigine telum.* Ex POTIUS transpositis literis nascitur POSITU. Neminem ultro aggredior, ut Venusinum decet. Ensis me, veluti vagina conditus, custodiet. Quem cur destringere coner? Pereat illud telum potius rubigine, nec quisquam potius mihi noceat. At vae illi, qui me commorit, et ensem vagina nudare coegerit. Scholium Porphyrionis corruptum est: „Tractum ex Graeco hoc: ὦ ἀπόλλοιτο. idem enim significat *ut* quod illic ὦ, i. e. utinam." Legendum, ut quivis videt, ὡς ἀπόλοιτο et ὡς i. e. *utinam.*

At ille Qui me commorit, melius non tangere clamo, Flebit. Irato acrior et acerbior comminatio convenit, quam per parenthesin ostenditur. Et *Melius non tangere!* habet amaram ironiam inque eo est maior acerbitas quam videtur. Et sic in Graeco, ἄμεινον ἦν Lucian. Pseudol. 31. ὁρᾷς, ὡς ἄμεινον ἦν σοι ἀκίνητον τὴν Καμαρίναν ἐᾶν, μηδὲ καταγελᾶν τῆς ἀποφράδος ἥ σοι ἀποφράδα τὸν βίον ὅλον ἐργάσεται; Quare in Horatio mallem: *At illi, Qui me commorit, „melius non tangere," clamo.* Inter Acronis Scholia et hoc legitur: „Ut me non tangas illi clamo." Val. Flaccus I. 256. *Clamantemque patri procul ostentabat Achillem.*

Flebit, et insignis tota cantabitur urbe. Plus autem est *cantabitur*, quam meis carminibus divulgabitur, fabula fiet. Cogita v. c. illud, quod est apud A. Gell. N. A. IV. v. *Tunc igitur, quod in Etruscos haruspices male consulentes animadversum vindicatumque fuerat, versus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur: Malum consilium consultori pessimum est.* vel potius *pessimum*, ut et in Hesiodeo, ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Et verbum in huiusmodi sententiis omitti solet.

Grande malum Turius, si quid se iudice certes.
Ut, quo quisque valet, suspectos terreat, utque
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum:
Dente lupus, cornu taurus petit, unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem, nil faciet sceleris pia dextera; mirum,
Ut neque calce lupus quemquam, neque dente petit bos;
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis;
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit, exsul,
Quisquis erit vitae, scribam, color. „O puer, ut sis
Vitalis, metuo, et maiorum ne quis amicus
Frigore te feriat.“ „Quid? quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora

Dente lupus. Vulgo in hac re utuntur exemplo *leonis*, ut Natura dedit λέουσι χάσμ' ὀδόντων, et κέρατα ταύροις. Sed exemplum *lupi* magis Satiram decet.

Nil faciet sceleris pia dextera; mirum Ut neque calce lupus. Interpretantur *pia* per antiphrasin pro *impia*. Agnosco potius lusum quendam, haud dissimilem Ovidiano. Fast. IV. 555. *Stulte pia mater.* et *dum non es, scelerata fuisti.* Pro *mirum ut* Bentl. coniicit: *mirum ni.* Mihi dudum in mentem venerat *nimirum ut.* Hoc nunc eo magis placet, cum Meinekium idem voluisse video. Horkelius tentabat: *mirum: At neque calce lupus quemquam, neque dente ferit bos.* Goellerus: *mirum, Quin neque* sq. Doderlinus emendationem Meinekii recepit.

Seu mors atris circumvolat alis. Hoc parum accurate antecedenti membro *seu me tranquilla senectus exspectat*, opponitur. Desidero *iam. Seu mors iam atris circumvolat alis.* Mors semper et ubique circumvolat, *nigris orbem circumsonat alis*, ut canit Gratius Cyneg. 348. circumvolans autem modo hunc mortalem, modo illum arripit. Hoc nihil significat nisi *omnibus moriendum est.* Dixisset Horatius: seu fiam senex, seu mihi moriendum sit. Dicendum erat: seu iam brevi moriendum sit.

Frigore te feriat. Tale frigus potentium est instar fulminis, quo Iupiter ferit. Hinc illud *procul a Iove, procul a fulmine.* Quem Iupiter ferit, mortuus est, quem Augustus, Maecenas frigore ferit, is quoque mortuus est in aula, in amicitia nobili, nullus est, non vitalis. Iocose igitur dixit *feriat te frigore.* Ita iam fiebat aetate Augusti, magis sequentium Imperatorum. Sueton. August. 66. *Neque temere ex omni numero in amicitia eius afflicti reperientur.* Idem Suetonius narrat M. Agrippam ex levi frigoris suspicione, et quod Marcellus sibi anteferretur, Mitylenas, relictis omnibus, se contulisse. Domitianus apud Tacit. Agric. 40. tali frigore tamquam fulmine, Agricolam feriit: *Exceptusque brevi osculo et nullo sermone turbae servientium immixtus est.*

Nitidus qua quisque per ora Cederet. N. Heinsius legebat *incederet.*

Cederet, introrsum turpis; num Laelius, et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi, aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laelî,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucilî censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido: nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis." „Equidem nihil hinc diffingere possum.

Bentleius non accipit, quia repetitio eiusdem syllabae *incedit introrsum* auribus ingrata est. Scholiastae diserte notant *cedere* hic poni pro *incedere*, et Lambinus Torrentiusque ex Plauto Pseud. IV. I. 45. afferunt: *Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet.* Ipse citat locum, ut dicit, aptiorem ex Casina II. VIII. *at candidatus cedit hic mastigia*, ubi nulla sit mendi suspicio, quia *incedit* rationi carminis repugnaret. Equidem in Horatio emendationem Heinsianam omnino accipiendam esse arbitror. Quod ingratum sonabat auribus Bentleii *incederet introrsum*, non sonabat auribus Heinsii. Et ille habebat, si quisquam, acutas et superbas. Apparet ex omnibus ad veteres poëtas viri excellentissimi annotationibus, apparet ex ipsis illius carminibus Latinissimis. Est genus quoddam alliterationis, quod antiquis poëtis adeo non displicuit, ut saepe data opera quaesivisse videantur. Exemplis in re nota abstineo. Scholiastas minime contemno. Sed si contra perpetuam optimorum scriptorum consuetudinem unum modo exemplum norunt, neque illud satis certum, eos non tanti aestimo, ut Horatium ab illa consuetudine recessisse putem. *Incedere* quasi consecratum est versu Virgiliano: *Ego, quae divum incedo regina*, et altero: *vera incessu patuit Dea.* Ipse Horat. Epod. XV. *At tu quicunque es felicior, atque meo nunc Superbus incedis malo.* Incredibile est Horatium ibi, si metrum bisyllabicam vocem posceret, unquam scripturum fuisse *superbus cedis.* Plautus verbo *incedere* saepe utitur: librarii saepe, ni fallor, mutarunt in *cedere.* Aulul. III. v. 43. *Iam hosce absolutos censeas, cedunt, petunt Trecenti.* Ibi scripsit ipse, puto: *incedunt*, et *censeas* est duarum syllabarum. Statim vs. 47. sequitur: *cum incedunt.* In eodem vs. 52. *Ibi ad postremum cedit miles. aes petit.* Leg. *incedit.* Locus corruptus affertur in Varrone de L. L. p. 180. ed. Speng. In Casina II. VIII. 10. *At candidatus cedit hic mastigia* admittenda fortasse est ecthlipsis: *At candidatu' incedit hic mastigia.* Ut Bacch, IV. x. 146. *Evenit, ut omnis praeda onustus incederem.* Mercat. III. IV. 15. *Tristis incedit, pectus ardet; haereo, quassat caput.*

Sed tamen, ut monitus caveas, ne forte negotî
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum;
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque.“ „Esto, si quis mala: sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?“
„Solventur risu tabulae, tu missus abibis.“

Ius est iudiciumque. Ergo, qui se iniuria affectum putat, accusare potest. Cicero pro Rosc. Com. 8. *Fraudabat te in societate Roscius? sunt iura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae.* Lucas in Act. Apost. XIX. 38. *εἰ μὲν οὖν Δημήτριος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ τεχνῖται ἔχουσι πρός τινα λόγον, ἀγόραιοι ἄγονται καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν· ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις.*

Solventur risu tabulae, tu missus abibis. Valde ambigue dictum, et interpretes de *tabulis* non conveniunt. Commentator: „vel subsellia, vel leges duodecim tabularum, vel iudices in eum non erunt severi.“ Subsellia, compago lignorum, risu solventur, frangentur, plus est, quam loci sententia patitur: *leges solventur,* minime decet Trebatium; quid enim turpius in tali iurisconsulto, quam tacite laudare leges solvi, non observari, violari, si quis, ipse integer, alium opprobriis dignum carmine laceraverit? *Lex* autem *solvitur,* pro aliquis *lege solvitur,* non est, puto, Latinum. Horatius voluit, ni fallor: Iudices in eum non erunt severi, ridebunt, et reum missum facient. Horatius minus obscure scripsisset: *Solventur risu subsellia: missus abibit.* Ut lusit in carmina *bona* et *mala,* ita fortasse luserat in *subsellia.* Nam *subsellia* significant et *tabulas, scamna,* et *iudices,* qui in subselliis sedent, et patronos litigantium. Continens saepissime pro contento ponitur, ut v. c. *templa, castra, carcer, curia,* v. Cort. ad Lucan. V. 11. Quin Martial. I. 27. *Sextiliane, bibis, quantum subsellia quinque. Nec consessorum vicina numismata tantum, Aera sed a cuneis ulteriora petis.* Appul. Metam. II. p. 190. *Convivium totum in licentiosos risus effunditur.* Solent alioquin in satiris ista exaggerari, ut apud Iuvenalem *ruptae lectore columnae,* et *convulsa marmora clamant.* Fieri potest ut in Horatio *tabulae* ortum sit ex interpretatione *subselliorum.*

Doderlinus exponit: „Absolvetur reus cum risu per tabulas iudiciarias; tu dimissus abibis; i. e. si tu coram iudicibus demonstrare possis, carmina tua, ut boni poëtae, laude digna esse, nec tamen mala, qualia lege vetantur, absolveris, dum iudices et qui sententiam audiunt, rident. *Risu* pro *cum risu,* ut Tacit. Hist. II. 70. *Vulgus clamore et gaudio deflectere via.*

SATIRA II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo,

SATIRA II.

Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo. In *boni* est aliquid insolitum, subitum, abruptum. Non ita ponitur in principio orationis, sed quum eos, quos alloquimur, iam ex praecedentibus cognovimus, unde appareat,

(Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva,)
Discite, non inter lances mensasque nitentes,
Quum stupet insanis acies fulgoribus, et quum
Acclinis falsis animus meliora recusat;

cur dicamus *bone, boni, o bone, o boni.* Praeterea Horatius in hac Satira quasi verbis ipsius Ofelli utitur. Oratio dividitur in duas partes. In priore ostendit *quae et quanta virtus sit vivere parvo:* in altera parte, *quantam utilitatem habeat vivere parvo.* Argumentum est: qui *potest* vivere parvo, is sibi maxime *prodest.* Illud est *virtutis*, hoc est *commodi*, ex virtute redundantis. Initium partis alterius ducitur a vs. 70. *Accipe nunc victus tenuis quae quantaque secum Adferat. In primis valeas bene* sq. Iam Horatius in propositione argumenti, de quo erat locuturus, tantum nominavit *virtutem*, omisit *utilitatem.* Interpretes nonnulli sentientes, quam non recte hoc factum esset, *utilitatem* quoque virtute contineri putaverunt. Sed hoc ipsum sibi demonstrandum sumserat, et exemplo Ofelli demonstravit. Ergo in propositione tam memorari debebat, quam *virtus.* Legendum videtur: *Quae virtus et quanta, boni quid vivere parvo.* Locutio usitata Plauto, Terentio et optimis aliis. Mercat. II. IV. 3. *Quid mihi est in vita boni?* Most. II. I. 23. *Quid mihi sit boni, si mentiar?* Terent. Hecyr. V. IV. 11. *Neque in nuntio, neque in me ipso tibi boni quid sit scio.* Si *virtus* complecteretur simul utilitatem, Horatius fortasse scripsisset: *Quae virtus et quanta homini sit vivere parvo.* Horat. mox vs. 72. *variae res Ut noceant homini.* Ovid. Trist. V. v. 25. *Nil homini certum est.* Phaedrus IV. XII. 1. *Utilius nihil est homini, quam recte loqui.*

Nec meus hic sermo est, sed quae praecepit Ofellus. Cogitavit Graeca illa, οὐκ ἐστιν ἐμὸς μῦθος, λόγος. Et Praxilla Sicyonia: Ἀδμήτου λόγον, ὦ ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει. Conf. Valcken. ad Eurip. Hippol. p. 201. Bentl. ex tribus Codd. Torrent. edidit *quae*, ut elegantius et castigatius, neque se dicere velle *praecepit sermonem.* Equidem non nollem, sed interpretarer: *quem sermonem ante me explicuit, quem Ofellus praeoccupavit.* Ergo hic sermo non est meus, sed quasi illius. De verbo *praecipere* vide Heins. ad Valer. Flacc. IV. 341. et alibi.

Non inter lances. Ubi saepe de temperantia et parcimonia disserebant ita dicti philosophi, vel aretalogi. Hos Augustus ad coenam adhibebat ridiculi caussa, illos irridet Lucianus in Convivio.

Cum stupet insanis acies fulgoribus. Commentator: „ineptis, nimiis, indignis." Alii aliter. Ambiguum igitur vocabulum. Horatius disertius significasset, quid vellet, scribendo: *Cum stupet in vanis acies fulgoribus.* Caput disputationis Ofellanae hoc est, ut ostendat, homines externa, falsa, inani rerum specie decipi: *vanis rerum corrumpi*, ut vs. 25. caudam pavonis esse spectaculum, nihil autem ad rem pertinere vs. 27. Ita homines vulgo stupent in *fulgoribus*, qui nullius pretii sunt. Et hoc convenit cum animo *falsis acclini.* Epist. II. I. 187. *Verum equitis quoque iam migravit ab aure voluptas Omnis ad incertos oculos et gaudia vana.* Seneca Epist. 94. *Vis scire, quam falsus oculos tuos decipit fulgor? Nihil est istis* (auro et argento), *quamdiu mersa et involuta coeno suo iacent, foedius.*

Verum hic impransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis
Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito, vel, si Romana fatigat
Militia adsuetum graecari, seu pila velox,
Molliter austerum studio fallente laborem,
Seu te discus agit, pete cedentem aëra disco:
Quum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare, cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Unde putas aut
Quî partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipso est. Tu pulmentaria quaere
Sudando: pinguem vitiis albumque neque ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius, quam gallina, tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro

Verum hic impransi mecum disquirite. Scholia: „Ieiuni, sobrii." Commentator ad Sat. II. III. 257. *Postquam est impransi correptus voce magistri.* „Sobrii, ieiuni, rigidi, severi, et est ἀνρίθετον ebrii seu poti." In *impransus* est notio *sobrii*, quia vulgo non bibebatur ante prandium vel coenam, non sumebatur πρόπομα. Hinc Satir. II. IV. 25. *quoniam vacuis committere venis Nil nisi lene decet.*

Lassus ab indomito. Constructio verborum valde difficilis et dura, neque apparet unde *sectatus* et *lassus* pendeant. Cogitari poterat de nominativo quodam absoluto. Sed huic vix locus est, quia mox legitur *pete.* Lambinus post *molliter* intelligebat *Lude pila*, quod respondeat illis *pete cedentem:* putat facilius tamen esse, si Horatius pro *Molliter* scripsisset *lude pila.* Vir doctus legebat *Mollito austerum*, vel *mollire*, quod Lambino magis placet. Conieceram: *Lassa te indomito.* Sectare leporem, doma equum ferocem, vel pete aëra disco cedentem, atque ita, seu Romano seu Graeco more, extunde fastidia. Fortasse locus alienis additamentis est inquinatus, et tantum Horatii sunt: *Leporem sectatus, equove Lassus ab indomito, vel, si Romana fatigat Militia assuetum Graecari, seu pila velox, Seu te discus agit, studio fallente laborem, Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis, Sperne cibum vilem.* Lassus Romana militia, vel studio laborem fallente, molliore illo et Graeco, seu malis disco seu pila, ita sperne cibum vilem.

Quia veneat auro Rara avis, et picta pandat spectacula cauda. Horatius, puto, scripsit: *et pictam pandat spectacula caudam.* Optimi scriptores in hoc verbo amant appositionem. Horat. Satir. I. VII. 20. *in ius acres procurrunt: magnum spectaculum uterque.* Livius XXVI. 13. *Ne-*

Rara avis et picta pandat spectacula cauda;
Tamquam ad rem attineat quidquam. Num vesceris ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto:
Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet, pontesne inter iactatus an amnis

que vinctus per urbem Romanam triumphi spectaculum trahar.

Carne tamen quamvis distat nihil hac magis illa. Meinekius annotavit: „Haec optimorum est librorum lectio, in qua expedienda frustra operam consumpserunt, ut alios mittam, Bentleius et Krügerus, quorum explicationes adeo contortae sunt et difficiles, ut nullo pacto probari posse videantur. Nec vero ulla emendatio excogitari potest, qua tenebricosa verba probabiliter restitui possint. Itaque aut delendus videtur versus, aut aliquid excidisse statuendum est in hanc ferme sententiam: „*Carne tamen, quamvis distat nihil, hac magis illa (Delector; pulchri quid habet Iunonius ales.*“) *Imparibus formis deceptum te patet.*“ Horatius versum *Delector, pulchri quid habet Iunonius ales* non invitus pro suo agnoscere posset. Sed idem Meinekius addit: „Haec ante multos annos in chartas conieci, nec delere volui, quoniam aliis fortasse meliora inveniendi viam monstrabunt. Equidem nunc, re iterum pensitata, in eam sententiam proclino, ut totum versum ab interpolatrice manu intrusum credam. Ita optime omnia cohaerent nec quidquam ultra perfectum trahitur.“ Ego tentavi, an difficultas sic expediri possit: *Carne tamen, quam vis, distat nihil haec avis illa.* Non edis caudam pavonis. Vis carnem: atqui caro pavonis et gallinae nihil differt. Et tamen mavis pavonem. Ergo formae impares te decipiunt. *Quam vis*, ut in Epist. ad Pisones: *Denique sit, quod vis, simplex.* Iam Xylander coniecerat *quam vis.* In eo Bentl. praeter alia culpat, quod *hac* ita prorsus redundaret.

Doderlinus interpretatur ita, ut *tamen* significet *saltem*, *quamvis* cum Xylandro mutetur in *quam vis*, et *magis*, quod Schaeferus iam ante Eichstadium putabat, pro *patina* accipiatur. Video Heindorfium coniecisse: *Carne tamen quamvis distat nihil hac avis illa.*

Esto: Unde datum sentis. N. Heinsius legebat: *unde ratum sentis.* Est coniectura, quales vir diligentissimus in margines librorum coniicere solebat multas. Postea de iis amplius iudicabat. Hanc, credo, ipse non repetivisset. Bentleius factum nolebat; ego a Bentleio non factum volebam, ut huiusmodi coniecturas memoraret, et reprehenderet, minime, ut reprehendit aliam Heinsii coniecturam ad vs. 123. quae illi nec coelum nec terram tangere videbatur. Addit quidem „Dicis, opinor, caussa, et aliud agens hoc adnotabat, magis ut de eo postea deliberaret, quam quod tum serio probaret.“ Debemus hoc, opinor, memoriae omnium, quorum MSS. utimur, ut huiusmodi correcturas silentio praetereamus. Bentleius *datum* tuetur, et exponit: Unde tibi datum, quod sentis, unde tibi concessum, ut sentias, idque exemplis confirmat. De Latinitate quidem *datum sentis* nemo dubitabit: de sententia, fortasse unus et alter, quae sic se habet: *esto. quis tibi dedit?* Hoc non recte procedit. Misso priore argumento, fit transitus ad aliud. Desideratur particula, qualis *sed, vero.* Legendum puto: *Unde autem sentis.* Esto: mittamus ista. Sit tibi tam sa-

Ostia sub Tusci? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est.
Ducit te species, video: quo pertinet ergo,
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit.
„Porrectum magno magnum spectare catino
„Vellem," ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos
Praesentes, austri, coquite horum opsonia! Quamquam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando

piens palatum, ut discrimen inter coctum pavonem et gallinam sentias; unde autem sentis, lupus hic sit Tiberinus, an in alto captus? Quanto melius sit *autem* quam *datum*, tacite agnoscit Bentleius, dum annotat: „Unde concessum tibi, ut discernas, lupus hic fluviatilis sit an marinus? natura et gustu, an prava opinione?" Dicit *concessum tibi*, non *conccssum tibi sentis*. Non facile hic *datum* explicatur, neque aliud requiritur, quam *unde sentis*, *quomodo sentis*. Ut hic *datum*, ita *dati* non facile explicatur in Vell. Paterc. II. 57. *Et libelli coniurationem explicantes dati, ab eo neque protinus lecti erant.* Fortasse Velleius scripsit: *Et libelli coniurationem explicantes accepti ab eo neque protinus lecti erant.* Idem narrat Sueton. quamquam de uno libello, cap. 81. *Quinta fere hora progressus est libellumque insidiarum indicem, ab obvio quodam porrectum, libellis cacteris quos sinistra manu tenebat, quasi mox lecturus, commiscuit.* Plutarch. Caesar. 65. Δεξάμενος οὖν ὁ Καῖσαρ (libellum) ἀναγνῶναι μὲν ὑπὸ πλήθους τῶν ἐντυγχανόντων ἐκωλύθη, καίπερ ὁρμήσας πολλάκις. Dio Cass. XLIV. 18. καὶ βιβλίον τι παρ' αὐτοῦ λαβὼν, ἐν ᾧ πάντα τὰ πρὸς τὴν ἐπίθεσιν παρεσκευασμένα ἐνεγέγραπτο, οὐκ ἀνέγνω.

Ieiunus raro stomachus vulgaria temnit. Bentleius de spuriis Horatio adiectis parum cogitavit. Hunc quoque versum silentio transmiserat. Sed in Epist. ad Pison. vs. 337. spurium eiicienti, huius in mentem veniebat. Tum docuit huiusmodi sententias in libris trivialibus, qui pueris praelegebantur, primum in margine vel ora codicis notatas, postea in textum fuisse translatas. Hanc quidem sententiam recte eliminavit, nam et orationis cursum male intercipit, et in ambigui vitium incidit, *raro ieiunus* an *raro temnit*. Haud multo melior est versu vulgari, scholastico: *Quod rarum carum, vilescit quotidianum.*

Annotatio quoque Acronis suspectum facit: „*Ieiunus r. Rari* magis lego. Rari honoris eius quidquid rarum est cupit. Inops rari cupidus. Alii *rare* legunt, cum in usu habeamus *raro*." Scripsisse videtur: „Ieiunus. r. s. *rari stomachus* lego. Cari honores eius, quidquid rarum est."

Notum est proverbium: τὸ σπάνιον τίμιον. P. Syrus: *Rarum esse oportet, quod diu carum velis.*

Putet aper rhombusque recens. Commentator: „Corrigit se, quasi frustra austros invocaverit, cum luxuriosis sit necesse suas putere epulas atque delitias quantumvis sapidas propter satietatem et affluentiam: *putet*, contemnitur et fit vilis." Et sic accepit Iuvenal. Satir. XI. 120 sq. *At nunc divitibus coenandi nulla voluptas, Nil rhombus, nil dama sapit: putere videntur Unguenta, atque rosae, latos nisi susti-*

Aegrum sollicitat stomachum, quum rapula plenus
Atque acidas mavult inulas. Necdum omnis abacta
Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisque est oleis hodie locus. Haud ita pridem
Gallonî praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora alebant?
Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
Si quis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorseris. Avidienus,

net orbes Grande ebur. Dixit *putere videntur*, quod in Horatio est *putent*. Fortasse explicari poterant ista ex verbis Senecae Epist. 95. *Scias putrescere sumta, non concoqui.*

Caeterum mentio *apri* hic minus opportuna est, quam esset *avis*. Nam locutus erat de *avibus et piscibus*, et de iisdem in sq. loquitur, ut de *acipensere, rhombo, ciconia, mergis*, at de *apro* demum vs. 89. *Rancidum aprum antiqui laudabant.*

Necdum omnis abacta Pauperies epulis regum. Comparandus hic quoque Lucian. Epist. Saturn. 28. ἴδοις ἂν αὐτοὺς οὕτω λαχάνου καὶ θύμου ὀρεγομένους ἐνίοτε, ὥσπερ οὐδὲ σὺ τῶν λαγῶν καὶ συῶν.

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido. Quo modo haec accipiemus? ciconia tuta erat *in tuto nido, cum tuto nido*, an ciconia *erat nido tuto* pro habebat tutum nidum? Nihil satis Latine dictum foret. Legendum censeo: *Tutus erat rhombus, totisque ciconia nidis.* Rhombus erat tutus in aequoribus, ciconia in omnibus nidis suis, ubique in nidis. Virgil. Eclog. I. 11. *undique totis usque adeo turbatur agris.* Claudian. II. Stilich. 187. *nova culmina totis Aedificet ripis.* Ubi v. Burm. Talia sunt *tota Italia, Gallia* sim. hoc est *ubique in Italia*, per totam Italiam. v. Oudendorp. ad Caesar. B. G. v. 55. *Totus* et *tutus, o* et *is* quam saepe in Codd. sint confusa, nemo ignorat. Horatius autem *nidos* addidit, quia in *nidis* cogitantur pulli ciconiae, atque illi praesertim petebantur a gulosis. Pullos comedere docuit auctor praetorius. Commentator: „Sempronius Rufus praetorius instituisse creditur ut ciconiarum pulli manducarentur: quare, quum in praetura petenda repulsam tulisset, tale Epigramma meruit: *Ciconiarum Rufus iste conditor, Hic est duobus elegantior Plancis, Suffragiorum puncta non tulit septem. Ciconiarum populus ultus est mortem.*“ Burmannus venustum carmen edidit in Anthol. Latin. T. I. p. 305. et multis illustravit. Laborat, puto, menda, quae fecit ut oratio male cohaereat, quod auctori tam Latino minime tribuerim. Pithoeus dedit *ipse est* pro Scholiastae *hic est* Heinsius legebat *quippe est* vel *ipse is*, aut *ipse et.* Verum iudico: *Etsi duobus elegantior Plancis.* Quum *etsi* semel erat corruptum in *est*, deerat syllaba, quam alii supplerunt per *ipse*, alii per *hic.* Acumen est in antithesi *duobus* et *septem*, quae postulat *etsi*, quamvis, licet.

Si te alio pravum detorseris. Con-

Cui Canis ex vero ductum cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna,
Ac nisi mutatum parcit defundere vinum, et,
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatus celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Utrum imitabitur? Hac urget lupus, hac canis, aiunt.
Mundus erit, qui non offendat sordidus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,

cinnius putem: *Si te aliud pravum detorserit.* Frustra Charybdin vitaveris, si te Scylla de recto cursu deiecerit. Horatius et alii *pravum, prava* saepe substantive usurpant, ut vs. 52. *pravi docilis Romana iuventus.* Recte autem *vitio* subiungitur *pravum*, tamquam plus illo, cum vitia in consuetudinem et naturam abierunt. Sic Vell. Paterc. II. x. *Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.* Ubi non sequar Ruhnkenium, legentem *a rectis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur.* Velleius fortasse cogitabat Liviana ista in Praefatione: *Labente deinde paullatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo: deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites.*

Veteris non parcus aceti. Homo sordide avarus, qui oleum adeo corruptum vel instillat, is acetum, quamquam vetus, non effundit. Hoc ille vidit, qui in ed. Zarot. dedit *non largus.* Legendum puto: *veteris quoque parcus aceti.* Acetum vetus vim amisit. Si ergo avarus quantitate supplebat, quod deerat qualitate, in eo saltem erat liberalis. Sic non erant tales avari.

Mundus erit, qui non offendat sordidus. Pro *qui* in quibusdam MSS. erat *qua*, pro *sordidus* in vetustis edit. *sordibus.* Bentleius legebat: *qua non offendat sordibus.* hoc est: Sapiens mundus erit eatenus, qua non sordibus fastidium moveat, in neutram partem cultus miser erit, neque inclinans in nimiam munditiem, neque in victum sordidum. Alii aliter.

Doderlinus: „Sapiens in tantum mundus erit, ut non offendat sordibus, non in tantum, ut delectet luxibus."

Atque In neutram partem cultus miser. Hic quoque interpretes in varias partes scinduntur. Iungunt vel *partem cultus*, vel *miser cultus*, vel *cultus* accipiunt pro participio passivo, vel *miser in neutram partem.* In omni interpretatione est, quod placeat, quod displiceat. Conieci: *Mundus erit, qui non offendat sordibus atque In neutram partem cultu. Miseri hic neque servis Albuti senis* sq. Victus sapientis erit mundus, hoc est, qui in neutram partem offendat, neque sordibus neque cultu. Quae de Albutio et Naevio addit, ea pertinent ad officia servorum, quibus sapiens nec iusto severior nec indulgentior erit, dum munia in ministrando obeunt. Miser Albutius, δύσηνος, erat saevus, Naevius simplex, quo coenam praebente, servi faciebant, quod vellent, adeo ut vel aquam sordidam convivis dari sineret Medio ibat ille apud Plaut. Mil. III. I. 150. *Servientes servitute ego*

Albuti senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, neque sic, ut simplex Naevius, unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque magnum.
Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene: nam variae res
Ut noceant homini, credas memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit. At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis

servos introduxi mihi, Hospes, non qui mihi imperarent, quibus ego essem obnoxius.

Corruptum hic est scholium Porphyrionis: „Cultus.... est, unde et alibi: *Qui feros cultus hominum.* Vergilius: *cultus feros mollite colendo:* Salustius: *atque ipse cultus rei.*“ Paulyus annotavit: „Dicere voluisse scholiastam *cultus nomen est* exempla allata docere videntur, sed graece dixit.“ Legendum puto: „cultus τῶν μέσων est.“ Hoc ostendunt MSS. Paulyi in quibus „*cultus* τωv εσων est;“ et „cultus τῶν μεσην.“ *Cultus* scilicet per se nec *bonum* nec *malum* cultum significat. Quas λέξεις Graeci μέσας, Latini *media et communia* vocant, ut, quod Gellius dicit N. A. XII. 9. *significare et capere possint duas inter se res contrarias.* In Fabric. legitur: *cultus saevus est.* Paulyus vocat hanc scripturam ineptam, nec melius apud Commentatorem Cruquii: „*cultus* nomen genetivi casus.“ In Fabriciano MS. *saevus*, ni fallor, corruptus est ex τῶν μέσων, et Commentator tantum significavit *cultus* non esse participium passivum, sed nomen substantivum, et quidem genitivi casus. Exemplum Salustii Cortius ad Fragm. Incerta retulit p. 1008. Nec dubitari potest, quin Salustii sit *cultus rei*, hoc est, ut rei solent, in modum reorum. Ille talem usum huius substantivi amat, ut v. c. Iugurtha 33. *Igitur Iugurtha contra decus regium, cultu quam maxime miserabili, cum Cassio Romam venit.*

Vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia. Veteres Scholiastae, omnes recentiores interpretantur ex noto Terentii Phorm. II. II. 28. *Coena dubia apponitur.* G. *Quid istuc verbi est?* P. *Ubi tu dubites, quid sumas potissimum.*

Doderlino iudice, haud satis constat, an Horatius hoc voluerit, quum ei et per linguam et metrum dicere licuisset *varia.* Ergo interpretari malebat, coenam ingenio et arte cocorum ita compositam variisque additamentis mutatam, ut convivae nescirent, quid ederent; quod ipsum diligentius explicavit ad Satir. II. VIII. 28. Equidem morem consuetum teneam. Horatius nempe et alii Terentium imitari amabant, sibique in re ista placebant. Est quoque in *dubia coena* nescio quid Comici, Satirae decorum. Terentius in verbo quaesivit ridiculum. Significatio nova videtur, sive tunc facta, sive iam ab alio poëta adhibita, quem vellicat. Tum *coena* hic omne illud, quod in convivio positum fuit, complectitur: omnes autem omnino cibos ita *dubios* fuisse, vix credibile est. Denique coena *dubia* paullo plus significat quam *varia. Varia*, δεῖπνον πολύοψόν τε καὶ ποικίλον, res diversas continet, haud necessario cunctas tam suaves, ut, quid eligas, dubites.

Coena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque affigit humo divinae particulam aurae.
Alter, ubi dicto citius curata sopori
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni, et tractari mollius aetas
Imbecilla volet; tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, molitiem, seu
Dura valetudo inciderit, seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat; sed, credo; hac mente, quod hospes

Dicto citius. Commentator: „Dicto citius vegetus surgit.“ Alii: post coenam frugalem, dicto citius peractam somnus et placida quies capitur. Unice verum iudico: curata membra dicto citius sopori dedit. Qui ex dubia coena surgit, haud cito dormit, imo saepe somnum capere non potest. Neque Ofellus commendaret celeritatem coenandi. Probe sciebat, quantum hoc vel in coena frugali noceret valetudini. Lente coenare prodest, *ut bene valeas.* Porphyrio: „ait: is vero qui citius conquiescit nec diu vigilat ob longam coenam. *Curata*, cibo modeste fota.“

Quod hospes Tardius adveniens vitiatum commodius, quam Integrum edax dominus consumeret. Commentator: „Ordo et sensus est: quod hospes serius adveniens commodius ederet vitiatum et rancidum, quam dominus consumeret integrum et non vitiatum.“ Acro: „Antiqui omnia custodiebant et quavis vetustate laudabant. Ordo cum hoc sensu: Quod commodius hospes *vitiaret* servatum, quam totum dominus absumeret. *Integrum* aut totum aut non corruptum.“ Porphyrio: „Rancidum ἀντὶ τοῦ, dum servatur rancidum factum.“

Cruquius: „Cod. Bland. cum Tons. habet *vitiaret*. Et in tribus Codic. Bland. adnotatum est *reprehenderet*.“

Fortasse manus Horatii servata est in *vitiaret*, idque mutandum in *vitaret: quod hospes Tardius adveniens vitaret commodius, quam Integrum edax dominus consumeret.* Qui aprum integrum, recentem, prius quam fieret rancidus, comedere volebant, intra breve tempus facere debebant. Ergo nec satis parci nec temperantes esse poterant. Rustici erant et parci et temperantes. Magna pars apri diu servata utriusque virtutis testimonium habebatur magis, quam quod odore delectari viderentur.

Servabant autem et in adventum hospitis. Si ille tardius veniret, quam exspectassent, rancida tamen caro apponebatur. Non amabat. Rustici adeo commodius putabant, si hospes nollet corruptam carnem, quam si ipsi consumsissent integram. En, ait Ofellus, exemplum priscae parcimoniae et temperantiae! En veros heroas! Illi sciebant *custodire et servare.* Quod hospes fastidiebat, ipsi non fastidirent. Nos nihil ad istos homines sumus.

Scholiastae recte utuntur verbis *cu-*

Tardius adveniens vitiatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupat humanam? grandes rhombi patinaeque
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum
Et frustra mortis cupidum, quum deerit egenti
As, laquei pretium. „Iure," inquit, „Trausius istis
Iurgatur verbis: ego vectigalia magna
Divitiasque habeo tribus amplas regibus." Ergo
Quod superat, non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua deûm? cur, improbe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo?
Uni nimirum tibi recte semper erunt res,

stodire et *servare*. Ovid. Metam. VIII. 649. ubi Baucis et Philemon hospites excipiunt, sordida terga suis tigno pendentia levant, *Servatoque diu resecant de tergore partem Exiguam*. Hospes *vitat* carnem rancidam, nihil gustat, fugit, abstinet. Ovid. Rem. Amor. 499. *Nec minus erucas aptum vitare salaces*. Vitat *commodius*. Illi putabant esse commodius, melius, utilius, hospitem vitare, quam ipsos edaces, avide consumere: constructio similis Ovidianae Heroid. Epist. I. 67. *Utilius starent etiam nunc moenia Phoebi:* Utilius mihi starent, utilius mihi esset, si starent. Denique in vulgata lectione *rancidum* et *vitiatum* non bene conveniunt, quia idem significare debent, nec significant.

Oratio Ofelli est ironica, ex absurdo. Melius enim erat aprum a domino consumi integrum, quam ab hospite sperni rancidum. Dominus contra iudicabat.

* *Iratum patruum, vicinos, te tibi iniquum*. In *dedecore* iam est contemtus *vicinorum*. Cur illi, ut patruus, irascerentur, si helluo grandes rhombos amaret et rem perderet? Alia ratio eaque melior est in Satir. I. 1. 83. *Non uxor salvum te vult, non filius, omnes Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae*. Fortasse Horatius scripsit: *Iratum patruum atque affines, te tibi iniquum*.

Uni nimirum tibi recte semper erunt res. Bentleius ex coniectura N. Heinsii legit: *eunt res*. Nec dubitari potest, quin et *res recte eunt* et *recte erunt*, et, omisso quoque *res*, *tibi recte erit*, Latina sint. Hic futurum mihi videtur necessarium. Et sic Persius, perpetuus ille Horatii imitator, ad cuius auctoritatem Bentleius saepe provocat, legisse videtur, Satir. I. 110. *Per me equidem sint omnia protenus alba, Nil moror: euge, omnes, omnes bene mirae eritis res*. Livius XXIII. 11. ex oraculo Graeco, interprete Q. Fabio Pictore: *Si ita faxitis, Romani, vestrae res meliores facilioresque erunt*. Idem XXV. 12. ex carmine Marcii vatis: *Haec si recte faxitis, gaudebitis semper, fietque res vestra melior*. Ad istam formulam dici poterat: *tibi recte semper erunt res*. Atque ita in MSS. legitur. *Res recte*

O magnus posthac inimicis risus! Uterne
Ad casus dubios fidet sibi certius, hic, qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui, contentus parvo metuensque futuri,
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
„Non ego," narrantem, „temere edi luce profesta
Quidquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
At mihi seu longum post tempus venerat hospes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
Sed pullo atque hoedo; tum pensilis uva secundas
Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
Post hoc ludus erat, culpa potare magistra,

erunt simile est Graeco ἔσται πάντα καλῶς, quod cornix aliquando in Capitolio elocuta est, narrante Suetonio in Domit. 23. *Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur: Nuper Tarpeio quae sedit culmine cornix, Est bene, non potuit dicere, dixit: erit.* Potuisset: *Res bene sunt, nequiit dicere, dixit: erunt.* Formula adeo solemnis poscit verbum *esse*, non *ire*. Si Horatius hoc voluisset, scripsisset, quamquam versu duriore: *Res uni nimirum ibunt semper tibi recte.*

Post hoc ludus erat culpa potare magistra. Vulgo interpretantur ita, ut positae essent quaedam leges, secundum quas bibere, loqui, agere convivae deberent, si contra fecissent, eos multari, poculo vel negato, vel uno seu pluribus ad evacuandum imperatis. Ergo *ludebant*. Hoc autem erat *lusus*, non adeo *ludus*. Nam *lusus* dicitur ipsa ludendi actio, *ludus* animi recreatio, quae iam in convivio ante potationem sentiebatur, praesertim tamen in ipsa potatione, ita ut ea esset omni ludo iucundior, et convivae *nullos ludos spectare mallent*, ut est in Satir. II. VIII. 79. *Ludus, festum*, ἑορτή figurate ponuntur. Formulam *hoc facere mihi ludus est* multis exemplis illustravit Heins. ad Claudian. II. Consul. Stilich. 156. Bentleius coniiciebat: *cupa potare magistra. Cupa, copa*, est mulier καπηλίς, quae vinum ex caupona vendit. Operae pretium est legisse, quibus argumentis istam coniecturam exornet. Mihi tamen non verosimile videtur, Ofellum ita convivium celebrasse, ut Britannus putat. Rusticus, opinor, qualis Ofellus, si non cellas et apothecas haberet, habebat tamen aliquid vini, in ipso solo nati, quod festis diebus hospiti et convivae servabatur. Homo tam diligens et attentus non peteret ex taberna mercem caram et malam, quam domi sic satis bonam et parvo stantem sibi parare posset. Sic Ofelli non sunt noti. Nec Oudendorp. ad Sueton. Claud. 40. coniecturam Bentleii multum laudasse videtur. Ego semper cogitavi in

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
Explicuit vino contractae seria frontis.
Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus;
Quantum hinc imminuet? quanto aut ego parcius aut vos,
O pueri, nituistis, ut huc novus incola venit?

corrupto *culpa* latere nomen aliquod proprium *villicae*, qualis erat v. c. *rustica Phidyle*, serva, seu libertina, cui scripsit Carm. III. XXIII. Ofellus sine dubio habebat huiusmodi mulierem, quae res domesticas curabat. De rebus istis exposuerunt Cato, et fuse Columella in Libro XII. Qualis vir, sobrius, durus, parcus, talis villica. Lepide igitur magistram fecit, quae probe caveret, ne convivae nimis potarent, et tamen satis concederet, ut frontem explicarent, et inter risus et iocos severae modimperatrici villicae parerent. Nomen esse potuit *Paulla*. *Post hoc ludus erat Paulla potare magistra.* Fictum nomen saepe legitur apud Martialem. Ea villica erat uxor, nupta Ofello, ut in Martial. V. 66. *Villica vel duri compressa est nupta coloni.* Horatius vs. 115. nominat Ofellum *metato in agello Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum.* Ergo *nupta* erat domi, nomine honestiore, fortasse liberta dominae.

Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto, Explicuit. Participium *venerata* passive accipere cogimur. Huius autem significationis certum exemplum non offenditur. Scholiastae iam ostenderunt Virgil. Aen. III. 460. *cursusque dabit venerata sacerdos.* Ubi Servius: „quam tu veneratus sis, vel venerata pro te Deos, hoc est, rogatis pro te Deis.“ Verum est: *venerata Deos.* Si Virgilius scripsit *cursusque dabit venerata secundos*, quod plerumque ab interpretibus accipitur, et sane praestat, manet *venerata* activo sensu. In Aeneid. VIII. 76. *celebrabere* est manus poëtae, non *venerabere.* Quomodo autem *Ceres* convivis frontem explicat? Commentator: „rogata deinde Ceres, ut perseveraret in frugibus, ita ut se ostenderat, tristitiam explicuit vino.“ Bacchus, puto. est dator *laetitiae*, non Ceres; nisi potarent, ut veteres Germani apud Tacitum, humorem ex hordeo aut frumento, in similitudinem vini corruptum. Iam *ita surgeret*, pro ita culmo surgeret, *ut se ostenderat*, crescere coeperat, est dura ellipsis Nec video quid differant *culmo surgere* et *crescere*, ut explicandum putavit alius Scholiasta. In vetustis edit. corrigitur *ut.* Conieci: *nupta potare magistra: Quae venerata, Ceres ut culmo surgeret alto, Explicuit vino contractae seria frontis.* Nupta Ofelli, ut erat officium bonae villicae, primum libabat Diis Deabusque agrestibus, ante omnes Cereri, ut laeta seges culmo surgeret. Libato, convivas bibere ex lege et arbitrio suo iubebat, regnumque exercebat, et seria frontis explicabat. *Venerata*, quasi absolute positum, semper ex verborum sententia sumit, unde efficias, *quem* quis veneratus sit. Tibull. I. I. 11. *Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, Seu vetus in trivio florea serta lapis.* Horat. Satir. II. VI. 8. *Si veneror stultus nihil horum.* Ubi antecessit *Maia nate*, ut in Tibullo adest *stipes* et *lapis*, quem venerabatur.

Quanto aut ego parcius, aut vos, O pueri nituistis. Melius: *Quando.* Ipse, ut pueri, post singulas coenas quasi nitebant, semper saturi erant. Oratio rustica. Nihil, ait, nobis unquam defuit, adeo ut non magis niteremus ante adventum novi incolae. Commentator: „bene accepti fuistis, bene vixistis.“ *Nitere* et *nitidus* de

Nam propriae telluris herum natura neque illum
Nec me nec quemquam statuit: nos expulit ille;
Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
Postremum expellet certe vivacior heres.
Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus erat, nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus!"

habitudine corporis solida et succi plena, frequentantur. V. Ruhnk. ad Terent. Eunuch. II. II. 11. Pro *nituistis* in MS. scholiorum apud Paulyum, *instituistis*. Error, puto, scribarum.

Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli Dictus erat, nulli proprius. Mihi distinguendum videtur: *Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli Dictus, erat nulli proprius.* Ager, qui nunc est sub nomine Umbreni, nuper dicebatur Ofelli, nulli, iam ante possessores illos, erat proprius, neque postea erit.

SATIRA III.

Si raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,

SATIRA III.

Si raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas. Meinekius: „Pro *si* peiorum Codd. scriptura est *sic*. at corruptum haud dubie est *scribis*, cum brevis syllabae arseos vi productae ne unum quidem ex toto Horatio exemplum afferas. Itaque corrigendum videtur: *si raro scribis tu ut toto*. Nam *scribes* quod interpolati quidam Codices habent, aperta est metrici correctio." Ego plura hic esse corrupta suspicor. Prima caussa, cur ita factum sit, hinc repetenda videtur, quod vocabulum unius syllabae excidit. Horatius nempe dederat: *toto ut non ter quater anno*. Cum *ter* semel excidisset, et legeretur *toto ut non quater anno*, librarius metrum restituit, transpositis *toto ut* in *ut toto*, et mutavit *scribis* in *scribes*. Pro *si raro*, nonnulli Codd. habent *sic raro*, peiores quidem illi, sed, ut saepe accidit, vestigia melioris lectionis indicantes. Melius enim puto: *sic ergo*. Damasippus dicit: *Sic ergo scribis, toto ut non ter quater anno Membranam poscas — — Nil dignum sermone canas?* Oratio indignantis pulchre ab *ergo* inchoatur. Attigi ad Carm. I. XXIV. Tacit. Annal. III. 17. *Id ergo fas aviae, interfectricem nepotis adspicere, alloqui, eripere senatui?* Quam *raro* scriberet, longe elegantius ex *ter quater toto anno* efficitur, ut illud addi plane supervacaneum sit. In *ter et quater*, *terque quaterque*, *ter quater* plerumque cogitatur quod *saepe* fit; in *ter aut quater*, *terve quaterve* quod *raro* fit. Vide Bentl. ad Epod. V. 33. Hic additum *toto anno* satis ostendit, non significari *saepe*, sed tam *raro*, ut numerus ultra *quater* non procedat: Sic ergo scribis, ut toto anno vix ter vel, si plurimum, quater membranam

Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas, quid fiet? Ab ipsis
Saturnalibus huc fugisti. Sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis! Incipe! Nil est?
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat
Iratis natus paries dîs atque poetis.
Atqui vultus erat multa et praeclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?

poscas. Damasippus Horatium alloqui videtur ipsis verbis, quibus eum esse usum audiverat, cum desidiam suam ipse detestabatur.

Doderlinus cum Meinekio volebat *si raro scribis*.

Iratis natus paries dîs atque poëtis. Plaut. Amphit. I. 1. 168. *gestiunt pugni mihi.* Sos. *Si in me exerciturus, quaeso ut in parietem primum domes.*

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? Vulgo Platonem philosophum cogitant. Et Horatius chartas Socraticas, Platonis praesertim, studiose legebat. In Satir. II. iv. 3. iungit Pythagoram, Socratem et *doctum Platonem.* Recte, et *doctum* Platonem, hoc est philosophum. At *Plato* in comitatu Menandri, Eupolidis, Archilochi verosimiliter est Comicus. Idem sentiebat Estreus, et, ut postea vidit, iam antea Dacerius; et, ut nunc video, iam ante hunc D. Heinsius.

Eupolin, Archilochum, comites educere tantos? In Cod. Reginensi *Platona Menandro, Eupolin Archilocho? comites educere tantos?* Nempe tantos codices, tot ac tantis voluminibus, ut veteres Scholiastae, quod Bentleius venustum vocat. Pro *tantos* Schol. Persii dedit *quin tu.* Hinc ex coniectura Rutgersii totum locum sic concinnari posse arbitratur: *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? Eupolin, Archilochum comites educere, quid, tu Invidiam placare* sq. Contentus tamen erit vulgata lectione. Equidem non video cur poëta a constructione incepta discessisset. Qui scripsit *stipare Platona Menandro*, continuavit, puto, *Eupolin Archilocho*, vel potius, *Eupolidi Archilochum.* Si *Eupolin Archilochum* scripsit, praemisisse credam *Platona, Menandrum.* Comites sunt omnes quatuor, tanti comites, tam praeclari. Sed in *educere comites* desidero copulam. Fortasse legendum: *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro, Eupolidi Archilochum, comites et ducere tantos?* Stipaverat libros quatuor, Comicorum et Archilochi, in capsula, ut Catull. Carm. LXVI. *Nam quod scriptorum non multa est copia apud me Hoc est, quod Romae vivimus. Huc una e multis capsula me sequitur.* Horatius plerumque utitur *ducere comitem.* Plaut. Amphit. III. II. 49. *Ibo egomet, comitem Pudicitiam duxero.* Hos nunc in capsula stipaverat, et stipatos secum duxerat.

Invidiam placare paras virtute relicta? Virtus Horatii in componendis tanta cum libertate Satiris cernebatur. Hinc sibi invidiam contrahebat. Hanc ut places, rarius atque rarius scribis? rogat Damasippus. Horatius adeo non ita *parabat placare,* sed iam *placabat,* ut quidem opinabatur. Legendum, ni

Contemnere, miser. Vitanda est improba Siren
Desidia, aut', quidquid vita meliore parasti,
Ponendum aequo animo." „Di te, Damasippe, deaeque
Verum ob consilium donent tonsore! Sed unde
Tam bene me nosti?" Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam,
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram, unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita." „Novi,
Et miror morbi purgatum te illius." „Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Traiecto lateris miseri capitisve dolore,
Ut lethargicus hic, quum fit pugil et medicum urget.
„Dum ne quid simile huic, esto ut libet." „O bone, ne te
Frustrere: insanis et tu stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat, unde ego mira
Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
Solatus iussit sapientem pascere barbam,

fallor: *Invidiam placare putas, virtute relicta?* si putas, multum falleris. Non tantum non placabis, verum etiam contemnere.

Differunt *paras* et *putas*. *Paras*, est tibi proposuisti, in animum induxisti, constituisti *placare*, in eo es, ut propositum efficere coneris, efficere adeo incipias: *putas placare*, ostendit tentamen iam aliquandiu continuatum, ut de felici eventu non dubites. Horatius iam totum annum tentaverat: totum annum *parare* non recte diceretur. Verba huiusmodi, licet in significationem paullo diversam deflexa, primitivam non plane deponunt.

Post *paras*, uno versu interposito, sequitur *parasti*. Vis in repetito verbo nulla est. Vel propterea melius *placare putas*.

Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor Traiecto lateris miseri capitisve dolore. Ut solet referri non potest ad dolorem lateris et capitis in cor traiectum, neque ad *mire emovit*. Quomodo enim *mirum*, quod *fieri solet?* Alii iungunt *mire novus*, quod esset valde novus inauditusque. Neque Commentator *mire* interpretatur: „quod fit, quando morbus non sanatur et desinit, sed immutatur tantum, morbusque morbo succedit." Horkelius legebat *emovit veterem maior novus*. Mihi in mentem venerat: *Emovit veterem morbus novus*.

Cum fit pugil, et medicum urget. Ut tibicen ille, phrenitide correptus, facit apud Lucian. Conv. 20.

Iussit sapientem pascere barbam. Acro: „Irrisio Philosophorum." Et sic

Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam, male re gesta, quum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit et: „Cave faxis
Te quidquam indignum! Pudor," inquit, „te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri
Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex
Autumat. Haec populos, haec magnos formula reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utrique
Error, sed variis illudit partibus; hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
Ut rupes fluviosque in campo obstare queratur;
Alterum et huic varum et nihilo sapientius, ignes
Per medios fluviosque ruentis: clamet amica
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor:

Commentator. Non apparet iunxerintne *barbam sapientem*, an voluerint *iussit me sapientem*, futurum philosophum, ut Doeringius, pascere barbam. Horatius, puto, lepide ipsam barbam vocavit *sapientem*, quasi documentum sapientis, atque ea faceret philosophum. Si potuisset, fortasse dixisset *pascere barbam philosopham*, qualem philosophi promittunt.

Doderlinus dubitat an *sapiens* hoc significare possit. Vellem, exemplum monstrare possem. Ingenio quidem sermonis, praesertim Satirici, mihi non repugnare videtur.

Quem mala stultitia et quemcunque inscitia veri. In *quem* ex altera parte assumendum *cunque*. In tali autem orationis conformatione *et* omitti solet. Propterea Meinekius scribendum putat: *Quem mala stultities, quemcunque inscitia veri Coecum agit.* Vere, puto.

Clamet amica Mater. Horkelius coniicit *anicla*, ut Prudent. Perist. 148. *Circumstat chorus ex utroque sexu, Heros, virgo, puer, senex, anicla.* Quum vetulae matri propter ipsam canitiem magis etiam obsequi oporteat quam florenti, atque sorori quoque additum sit epitheton ab aetate sumtum, *Amica*, puto, sic *matri* additum, omnia complectitur, quae filium movere debeant. Commentator: „*clamet amica mater.* Haec composite proferenda sunt; videntur autem sumta a Graeca

„Hic fossa est ingens, hic rupes maxima; serva!“
Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Quum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis:
„Mater, te appello!“ clamantibus. Huic ego vulgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
Integer est mentis Damasippi creditor? Esto:
„Accipe, quod nunquam reddas mihi',“ si tibi dicam,

tragoedia φιλημήτηρ.“ Vult, credo, *amica mater* esse pronuntiandum tamquam vocem compositam, *amicamater*, ut φίλη μήτηρ φιλημήτηρ: ergo iungenda *amica mater*, non legendum *amica, mater*. Porphyrio: „Melius est accipi *amica mater*, ut sit ex Gracco tractum φίλη μήτηρ, quam per se *amica*, per se deinde *mater*, quia mentionem uxoris facit in sequentibus.“ In tali affectu φίλος frequentatur. Homerus saepe μητρὶ φίλῃ, πατρὶ φίλῳ. *Poëta apud* Stob. Serm. 89. ὡς οὐδὲ μήτηρ ἡδονὰς τοίας ἔχει, οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ.

Doderlinus: *clamet amica, Mater honesta, soror cum cognatis, pater uxor.* i. e. clamet amica, vel si scorti admonitio levis videatur, clament adeo honesti monitores, mater, soror, fratres, pater.

Cum Ilionam edormit. Fortasse poëta cogitabat: Cum Ilionam dormientem ageret, crapulam edormit. Ab eo tamen scriptum fuisse puto: *Cum Ilionam dormit.* Nota sunt illa *saltat Cyclopa, coenat ollam Thyestae*, alia, de quibus Heindorf. et Wustemannus ad Satir. I. v. 63. Iliona, ut est apud Pacuvium, *somno curam suspensam levabat.* Ergo *dormiebat*, neque histrio simulare poterat *edormientem.* Et curae, quae Ilionam sollicitabant, non ita *edormiuntur*, nec Polydori umbra, clamans *Mater te appello*, edormire sinebat. Commentator: „Cum vellet Ilionam dormientem exprimere.“ Acro: „Cum vellet eam simulare dormientem.“ Lennepius ad Coluthum p. 122. legebat: *Cum Iliona dormit.* Contra formulam in hac re usitatam.

Doderlinus vim compositi in eo quaerit, ut Fufius illud *Mater te appello* dormiendo neglexerit, perdiderit.

Catienis mille ducentis, „Mater te appello“ clamantibus. Commentator: „Fufius histrio egit partes Ilionae, qui ebrius, dum vult simulare Ilionam dormientem, gravitate vini in verum somnum inductus est, atque ita dormivit, ut non audiret etiam mille Catienos agentes partes filii Polydori, et inclamantes matrem Ilionam.“ atque ita vulgo accipitur. Doeringius v. c. „ut mille ducenti Catieni clamare viderentur.“ Illud *viderentur*, et, *etiam mille Catienos* in verbis Horatii non est. *Non magis* audierit quam Fufius, supplendum, quam Fufius audivit. Revera clamabant, opinor, Catieni mille ducenti. Catieno clamante, et Fufio tamen somnum continuante, spectatores, ut est lepidum genus, in risum effusi, ingenti numero, simul clamabant: *Mater te appello.* Aliquid, huic non dissimile, Romae accidit tempore Galbae. Suetonius Galb. 13. *Atellanis notissimum canticum exorsis*: "Venit io Onesimus a villa," *cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac saepius versu repetito egerunt.*

Ex annotatione Heindorfii hanc explicationem non esse novam video. Ille non laudat, neque omnes spectatores clamasse putat, cum sine dubio numerus eorum saltem decies maior fuisset.

Tune insanus eris, si acceperis? an magis excors,
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio, non est satis, adde Cicutae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Quum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, quum volet, arbor.
Si male rem gerere insani est, contra bene, sani;
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perillî
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet. Huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est hellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

Cum rapies in ius malis ridentem alienis. Homeri est, quod omnes norunt: γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισι. hoc est *vultu invito*, ut ait noster de Ixione. Verbum Horatii imitatur Valer. Flacc. Argon. VIII. 164. *Errantesque genae, atque alieno gaudia vultu Semper erant.* Ubi *genae errantes* sunt, quarum *color* non certa sede manet, ut Horat. Carm. I. XIII. et Seneca Medea 858. *Flagrant genae rubentes, Pallor fugat ruborem, Nullum vagante forma Servat diu colorem.* Deinde legendum puto: *Atque alieni gaudia vultus Semper erant.* Gaudia semper erant, qualia sunt vultus alieni, illius, quae vultu alieno ridet. Sed Proteus, suae sibi artis probe conscius, non *vultu invito*, sed securus ex animo ridere poterat: nihil erat cur nolens tamen ridere cogeretur. Interpretes variis modis difficultatem expedire conati sunt, ut, poëtam verba Homeri in alium sensum deflexisse, debitorem ridere genis creditoris, vel genis alienae formae, igitur genis apri, avis, saxi et arboris. Fertur et coniectura Turnebi *cum rapies in iura, malis ridentem alienis*, hoc est, *damno*. Tum, puto, Latinum erat, *malo*, ut *malo tuo, malo meo, dolo meo*. Equidem locum non intelligo, nisi *creditor* genis alienis rideat. Proteus iste, ait Horatius, omnes tabulas, catenas, omnia vincula effugiet: *Cum rapis in ius, te malis ridente alienis, Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.* Effugiet te, dum interea doli illius tibi quamvis indignanti risum expriment. Ridebis, quod est in nostro proverbio, ut cui dentes dolent.

Doderlinus dictu non facile censet, quo modo Horatius versum Homeri acceperit: γελοιᾶν enim esse γελοῖα ποιεῖν, non idem quod γελᾶν. Praefert, quod et in MSS. legitur: *Cum rapies in iura, malis ridentem alienis.* Proteus ridens in ius veniet, probe sciens, hoc nihil accusatori profuturum. Rapere in *iura* pro *in ius* defendit exemplis Virgilii *iura dare* et Horatii *iura respondere*.

Nescio an Anticyram ratio illis de

Heredes Staberî summam incidere sepulcro;
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arrî,
Frumenti quantum metit Africa. „Sive ego prave
„Seu recte, hoc volui: ne sis patruus mihi!“ Credo
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid ergo
Sensit, quum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior; omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam, et rex
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti

stinet omnem. Quale hoc est asyndeton, tale vix apud Horatium inveniri putat Meinekius. Coniicit: *nec scio.*

Frumenti quantum metit Africa. Legam: *Frumenti et quantum.* Centum paria, atque epulum, frumentum, non recte procedunt, nisi *epulum* consisteret in omni frumento Africae. Bentleius iam *et* inferendum putabat, sed post *Arri.* Facilius excidere potuit post ultimam in *frumenti.*

Credo Hoc Staberi prudentem animum vidisse. Quid vidit prudens Staberius? Respondent: se ab haeredibus pro insano habendum, vel, eum arbitror praevidisse fore ut summam saxo incidere recusarent, tamquam prave iussum. Neutrum satis sententiae convenit, nec Lambini *iussisse* vel *voluisse* rem expedit. Manus Horatii videtur: *Hoc Staberi prudentem animum cavisse.* Scripserat in testamento, haeredes summam in sepulcro inciderent, nec propterea istius voluntatis severi essent censores. Ne essent, ait Damasippus, prudens Staberius probe caverat, addita lege, si inique ferentes negligerent, maximam haereditatis partem populo cessuram. Hoc, credo, mens provida Staberii caverat, ut Horat. Carm. III. v. 13. *Hoc caverat mens provida Reguli.* Proprium autem in *testamento* est *cavere.* Sueton. August. 59. *Nonnulli patrum familiarum testamento caverunt, ut ab haeredibus suis praelato victimae titulo, in Capitolium ducerentur.*

Quid simile isti Graecus Aristippus. Philosophus noster duo exempla comparat, Staberii et Aristippi. Ille aurum amat, hic spernit. Iam Latinum est: Staberius corradit, Aristippus contra proiicit. Aristippus in re ista non simile Staberio fecit, fecit dissimile, fuit illi dissimilis. Hic inepta est interrogatio: *Quid simile fecit?* Unum aliquid comparatur cum uno aliquo facto: *quid simile* plura facta ponit. Ita v. c. in versu apud Ciceronem Tusc. Disp. II. 15. *Quod Spartiatae etiam in feminas transtulerunt, quae caeteris in urbibus mollissimo cultu, parietum umbris occuluntur: illi autem voluerunt nihil horum simile esse apud Lacaenas virgines* sq. Idem recte efferretur: *quid simile esse voluerunt*

Graecus Aristippus, qui servos proiicere aurum
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emtas comportet in unum,
Nec studio citharae nec musae deditus ulli,
Si scalpra et formas non sutor, nautica vela
Aversus mercaturis, delirus et amens
Undique dicatur merito. Quî discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,

illi apud Lacaenas virgines? Pro Plancio 25. *Profers triumphos Ti. Gracchi, et C. Marii, et quaeris quid simile in Plancio?* sq. Coniicio Damasippum dixisse: *Dissimilisne Graecus Aristippus?* Estne Aristippus dissimilis Staberio, estne eo melior et sapientior? Imo similis. Neuter in auro aestimando modum tenuit. Ergo uterque fuit insanus. Uter insanior? Sic Stoicus ubique argumentatur, atque ut nunc rogat *dissimilisne*, ita vs. 108. rogat, *quî discrepat?* vs. 166. *quid differt?* vs. 260. *quî distat?*

Porrectus vigilet cum longo fuste. Bentleius corrigit *proiectus*, hoc est in nudo solo vel stramine, cum non credibile sit hominem in molli lectulo iacentem membra sibi *porrexisse*. Ego illum ne in nudo quidem solo *proiectum* iacuisse puto, sed vigilasse cum longo fuste contra formidatum furis adventum, in eo fere statu, quo Chabrias apud Nepotem c. 1. suos milites *hasta proiecta* impetum excipere hostium docuit. Horatium scripsisse arbitror: *Proiecto vigilet cum longo fuste.* Ut Graeci προβάλλεσθαι ita Latini dicunt *proiicere hastam, clypeum, pedem*, hoc est *protendere*, cum in procinctu stant, ἐν προβολῇ, milites, gladiatores, pugiles, ut hostem defendant vel aggrediantur. Quae *proiiciendi* inveniuntur exempla, ea fere cuncta coëgerat Heins. ad Virgil. X. Aen. 587, parumque novi est in annotatione Burm. ad Valer. Flaccum IV. 268. et Claudian. I. Rufin. 265. Adde Ernest. in Clave Ciceron. in voce προβολή.

Valerius Flaccus l. l. *proiectus* de ipso homine utitur, qui pugil *semper cervice reducta Semper et in digitis et summi pulvere campi Proiectusque redit.* In Horatio tamen melius *fustis* dicitur *proiectus.*

Audeat esuriens dominus contingere granum. Annotatio Meinekii hic reddi meretur: „In Satirae vs. 113. legitur *contingere granum*, in quo verbum *contingere*, quod paucis ante versibus legitur *veluti contingere sacrum*, tam brevi intervallo iterari non est elegantiae Horatianae; videtur ex priore loco in hunc alterum per describentis errorem translatum esse, cui opinioni hoc quoque favet, quod Codd. nonnulli ex eodem versu etiam *sacrum* habent pro *granum*. Fortasse igitur *confringere granum* vel aliud huic simile poëta scripserat. *Fractum triticum* habes apud

Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis, nihil est, tercentum millibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet unde-

Pallad. I. 29. et frumenta *molis aquariis frangi* dixit idem I. 42." Est tamen in coniectura ista, quod me moretur. Iure, an secus, videat Meinekius. Si frumentum cibo paratur, et frangitur, addi solet instrumentum, quo frangitur, ut in exemplis Palladii. Ita iam Virgil. Georg. I. 267. *Torrete igni fruges et frangite saxo.* Plin. H. N. XVIII. VII. *Hordeum molis frangunt.* Si quis simpliciter dicitur *grana frangere*, id facere cogitatur *dentibus*, hoc est morsu frangere, cum sonitu comminuere, ut Claudian. R. Proserp. III. 42. de antiqua illa *βαλησφαγίᾳ, pecudum si more pererrant Avia, si frangunt communia pabula glandes.* Virgil. Georg. II. 71. dixerat de suibus, qui *glandem fregere sub ulmis:* ubi plura Burm. Nisi Horatius elegantiam quaesiverit in eo ut idem verbum ad opposita retulerit, *contingere aurum* et *contingere granum*, mallem aliud verbum, v. c. *audeat esuriens dominus consumere granum.* Horat. Epist. I. II. 27. *fruges consumere nati*, ex Graeco, ut notum, *ἀρούρης καρπὸν ἔδουσι.* Apitzius coniiciebat: *contundere granum.* Comparo hic Luciani Somn. 14. Ἀνεψιὸς ἦν αὐτῷ πλούσιος ἐς ὑπερβολήν, Δριμύλος τοὔνομα. οὗτος ζῶν μὲν οὐδὲ ὀβολὸν ἔδωκε τῷ Σίμωνι· πῶς γὰρ; ὃς οὐδὲ αὐτὸς ἥπτετο τῶν χρημάτων.

Nihil est. Variae sunt formulae, corrigentium quod dictum est minus vero. Plaut. Mostell. IV. II. 65. *Nihil hoc quidem est, Triginta minae, prae quam alios dapsiles sumtus facit.* Horat. in hac Satira vs. 69. *Scribe decem a Nerio: non est satis adde Cicutae Nodosi tabulas centum, mille adde catenas.* Quae imitatus est Claudian. in Eutrop. I. 204. *Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas; Si Phrygas, adde: parum.* Lege *parum est.* Emtor millibus aliquid addidisse intelligitur. Sed ne hoc quidem Eutropio satis esse videbatur. Ergo dicit: *parum est*, ut mulier illa Satir. I. II. 120. *Post paulo, sed pluris.* Seneca Epist. 78. *Non respondit. Parum est. Risit, et quidem ex animo.* Appul. Apol. p. 578. *Lustro mentitus est. Parum hoc est. Liberalius agam.* Affectatum illud Senecae in Herc. Fur. 643. *Lycus Creonti debitas poenas dabit. Lentum est, dabit; dat; hoc quoque est lentum; dedit.*

Stramentis incubet, unde Octoginta annos natus. Meinekius: „Ineptissime *unde octoginta* anni commemorantur pro eo quem quilibet alius posuisset numero *octoginta*, itaque recepi emendationem Horkelii, *udis.* Nec minuit corruptelae suspicionem quod Priscianus XVIII. 24. in suo quoque codice idem quod hodie editur scriptum habuit. Priscianum vitiosis Horatii codicibus usum esse etiam aliunde constat. Illud vero nunc dubito utrum quod Horkelius voluit poëta scripserit, an quod ipse tentavi *si stramentis incubet ulvae*, quod proxime abest ab edito *unde.*" Nec mihi placet *unde octoginta.* Si quid est, quod fulcrum metri referat, hoc est. Minus illud cernitur in Iuvenal. Satir. VI. 192. *Tune etiam quam sextus et octogesimus annus Pulsat, adhuc Graece?* Conieceram *ultra octoginta annos natus.* Sed vero similius est Horatium aliquid addidisse *stramentis*, quo significaret, ne illa quidem fuisse optima. Sic Seneca Epist. XX. *Illum vidi nudum, quanto minus quam stramen-*

Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dîs inimice senex, custodis? — Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore caputque
Coeperis impexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? Tun' sanus? Populum si caedere saxis
Incipias servosve, tuo quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:
Quum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genitricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo est habitus male tutae mentis Orestes,

tis incubantem. Stramentis, ne isto quidem nomine dignis. Valde mihi arridet Horkelii *stramentis incubet udis.* quod Meinekius recepit.

Doderlinus cum Apitzio respici putat senem, notum eo tempore avarum, qui tunc annum aetatis septuagesimum nonum ipsum impleverat. Ita quoque accipit illa, *mille cadis, nihil est, ter centum millibus*, i. e. numerus rotundus *mille* nihil est, prae numero vero *ter centum millibus.*

Servosve tuo quos aere pararis. Olim legebatur *servosve tuos.* Pulcherrima emendatio debetur T. Fabro, laudata et recepta a Bentleio et aliis omnibus. Idem reddendum arbitror Plauto in Mostell. I. III. 48. *Solam ille me soli sibi suo liberavit.* Legam: *suo aere liberavit.*

Male tutae mentis Orestes. Bentleius interpretatur ex Celso, qui dixit *valetudo tuta*, et, *in quo omnia haec sunt, is ex toto tutus est:* ut *tutus* fere perinde sit ac *sanus, incolumis.* Credo equidem. Nam in scriptis medicorum, de *valetudine* loquentium, *tutus* necessario significat *tutum a morbis.* Sed tutus per se non potest significare *sanum*, minus etiam si de *mente* agitur. Eleganter dictum est, ait Bentleius, *male tutae* ut *male sanae.* Concederem, si ageretur de *morbis* animi, quae esset morborum istorum caussa, quid ad cavendos et sanandos faceret, ut *mens* esset, fieret, maneret *tuta.* Tunc *sanam* intelligi res ipsa et sententia docent. Nemo autem dixerit *tuta mens* simpliciter pro *sana.* Menti *male sanae* opponitur *bene sana*, ut Satir. I. IX. 44. *Maecenas paucorum hominum et mentis bene sanae.* Horatius nunquam scripsisset mentis *bene tutae*, si Maecenatem laudare voluis-

Nil sane fecit, quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
Electram: tantum maledicit utrique, vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis

set ut virum sapientem. Quare Orestes hic appellatur mentis *male tutae*, quae non tuta est iis, qui cum eo versantur, ut v. c. mare propter brevia, scopulos et procellas *male tutum* est navigantibus. Periculosum est Oreste fidere, ut lethargico illo in vs. 31. *cum fit pugil et medicum urget.* Horatius Damasippum metuens, respondet: *Dum ne quid simile huic, esto ut libet.* Modo ne me urgeas, strangules, ne male tutus, mentis male tutae sis. Et iam Lambinus, ut video, in hunc sensum ista acceperat.

Nil sane fecit. Sanus, insanus tam saepe de mente sana et insana repetitur, quin in vs. 201 legitur, *insanus fecit*, ut putem Horatium hic non scripsisse *sane* sed *plane*. Nota sunt *plane nihil, prorsus nihil, omnino nihil.* Illud *sane fecit* significat quoque *sanus fecit*, ut *sane, insane amare*, similia.

Pauper Opimius argenti positi intus et auri. Pauper *argenti* est qui non habet, ut *pauperrimus bonorum* Satir. I. 1. 79. Opimium habere, significatur addito *intus positi.* Ita dicendum erat *Dives Opimius.* Interpretantur Horatium ex Horatiano: *magnas inter opes inops.* Hoc Latinum est, et hic erat: *Pauper Opimius argentum positum inter et aurum.* Talia sunt, Tantalus sitit *inter aquas*, vel *in aquis*, ut Appul. de Deo Socrat. p. 171. *Tantali vice in suis divitiis inops, egens.* Et sic antiqui. Plaut. Mil. Glor. III. 1. 109. *At illa laus est, magno in genere et in divitiis maximis Liberos hominem educare.* Ambros. T. I. p. 193. *In summis divitiis inops.* Sic Latinum erat: *Pauper Opimius in argento posito intus et auro.* Ut apud alios: *congesto pauper in auro.* Et *Opimius* esse potest trisyllabum. Horatius fortasse scripsit: *Pauper Opimius argento posito intus et auro.* Pauper, quamvis haberet aurum et argentum intus in arca reconditum. Plane ut vs. 115. *Si positis intus Chii veterisque Falerni Mille cadis — Potet acetum.*

Doderlinus: „*Intus* vim sententiae addit. Opimius domi neque multum paratae pecuniae, neque vasa aurea neque argentea habebat. *Sacci nummorum* v. 145. *effusi*, foenori mox faciendo erant destinati. *Pauper argenti*, revera est pauper."

Hunc medicus multum celer atque fidelis. Medicus *celer* nescio an laudandus sit, nedum medicus *multum celer*, nisi quid addatur ad celeritatem commendandam, v. c. *iudicio, ingenio, consilio, sensu*, quod est apud Vell. Paterc. II. 118. *Iuvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio.* Et II. 73. *cogitator celer*, seu *cogitatu*, ut alii legunt. Hinc *celeritas ingenii*, qua Nepos Eumenem excelluisse scribit. Horatius tali modo versum componere

Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
Ad numerandum; hominem sic erigit; addit et illud:
„Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.“
„Men' vivo?“ „Ut vivas igitur, vigila: hoc age!“ „Quid vis?“

potuisset: *Hunc medici ingenium celere arsque fidelis Excitat hoc pacto.* Magna medici virtus in utraque re cernitur. Statim perspicit, quomodo aegrotus erigi possit, et, qua est cura et fide, experitur.

Doderlinus iungit *celer excitat*, quasi *celeriter*, et *fidelis* tantum ad medicum refert.

Effundi saccos nummorum. Talia sunt *medimnus tritici*, *modius annulorum*, *μέδιμνοι πυρῶν*, alia, quibus Oudendorp. confirmat Sueton. Calig. 49. *arcam venenorum*, quod et confirmari poterat Ciceronis de Fin. IV. 37. *nave auri.* Horat. Carm. IV. XII. 17. *Nardi parvus onyx.* Adde interpretes ad Petron. 60. *cum alabastris unguenti.* Hinc corrigendus est locus Horatii Epist. I. XVI. 55. *Nam de mille fabae modiis cum surripis unum.* Quis unquam dixit *modii fabae?* Recte modii *frumenti*, *auri*, *argenti*, quia sunt genus: at species pluralem poscit. Legendum: *Nam de mille fabam modiis cum surripis unam*, *Damnum est*, *non facinus.* Acrior quoque, ut in tali disputatione, opposita *una faba mille modiis*, quam unus modius ex mille. In antiquissima edit. vidi *fame mediis.* Ille in MS. fortasse vidit *fam*, hoc est *fabam.*

Men' vivo? Ἐμοῦ ζῶντος. Notum ex Homero, et imitatione Neronis apud Sueton. Neron. 38. *Dicente quodam in sermone communi ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, immo, inquit, ἐμοῦ ζῶντος.* Ubi legendum suspicor: *ἐμοῦ δὲ, inquit, ζῶντος.* Nero, et ipse poëta, Graece quoque, alludens verbo mutato metrum servavit. Latinum *immo* ortum videtur ex EMOU male scripto. Quod igitur deerat *ἐμοῦ* in sequentibus erat supplendum. *Immo* minus bene huic loco convenit. Conveniret *me autem*, *me quidem vivo.* Sed vix ille in communi sermone ultimam versus vocem *πυρί* pronuntiaverat, quum Nero statim exclamabat, *ἐμοῦ δὲ ζῶντος.*

Men' vivo? Ut vivas igitur vigila: hoc age. Quid vis? Non intelligo ista *ut vivas vigila.* Quomodo enim cohaerent? Opimius rogat: haeres avidus mea mihi auferet, me vivo? Respondet medicus: ut igitur vivas vigila, vel vigila igitur ut vivas. At vivebat Opimius, dormiens quoque vivebat. Interpretantur: in eo, quo nunc es statu, vix vivere videris, cura igitur ut morbo libereris. Sententia haud inepta, sed quae ex verbis non sine multo nisu torquetur. *Ut vivas* recte significaret, ut ne brevi vivere desinas, ne moriare, ut Petron. 111. de muliere, quae vitam abstinentia finire decreverat: *vis, discusso muliebri errore, quam diu licuerit, lucis commodis frui? Ipsum te jacentis corpus commovere debet, ut vivas.* Sed neque hinc locus satis intelligitur. Horatius fortasse scripsit: *Ut vigiles igitur, vigila.* Ni tua custodis, ait medicus, haeres tua tibi auferet. Mene vivo? inquit aegrotus. Medicus: *Te vivo*, ut haeredes iam facere vidisti; et quis vetet, quum tu lethargo oppressus nunquam fere vigiles. Vigila igitur, ut vigiles. Sine te morbo liberari; liberaberis autem sumto cibo. Alioquin venae te inopem destituent, nunquam, ut nunc experrectus es, expergiscere. Ut igitur tua custodire possis, vigilare pro tuis possis ne tibi vivo eripiantur, veterno sanari, vigilare debes. Hoc age, hoc cura.

„Deficient inopem venae te, ni cibus atque
„Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
„Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae!“
„Quanti emtae?“ „Parvo.“ „Quanti ergo?“ „Octussibus.“
„Heu, heu,
„Quid refert, morbo an furtis pereamve rapinis?“
„Quisnam igitur sanus?“ „Qui non stultus.“ „Quid avarus?“
„Stultus et insanus.“ „Quid, si quis non sit avarus,
Continuo sanus?“ „Minime.“ „Cur, Stoice?“ „Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic aeger. Recte est igitur surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.
Non est periurus neque sordidus; immolet aequis
Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus et audax;
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo praedia, dives
Antiquo censu, natis divisse duobus

Opimius ambiguum *vigila ut vigiles* non intelligebat. Ergo rogat *Quid vis*? Quid tua verba sibi volunt, quid significant? *τί βούλεται τοῦτο; τί φῄς; αἰνίγματα λέγεις.* Veteres, ut Cicero, saepe in verbis *vigilare* et *dormire* sim. luserunt. Cicero Caninium fuisse *mirifica vigilantia* iocatur, *qui suo toto consulatu somnum non viderit*. Horatius omnem orationem medico sic tribuere potuisset. *Ni tua custodis, avidus iam haec auferet haeres Te vivo. Ut vigiles igitur vigila.* Tua tibi auferentur te vivo. Cave ne fiat, quod fiet, ni te sanari patiaris. Oratio per interrogationem aegroti interrupta est vividior.

Doderlinus corrigit: *Ut vivas igitur, vigil hoc age.* Hoc est: Iam ex lethargo erectus, facere aliquid debes, ut vitam continues, ut porro vivere possis. — Quid faciam? — Fulturam stomacho sumes.

Stomacho fultura ruenti Ingens. Illud *ingens* plerisque displicuit. Hinc variae coniecturae *instans, ingesta, id genus*, et Bentleii *praesens*. Nihil adhuc melius vidi quam *praesens*, hoc est *certum, magnum, paratum*, ut interpretatur Ruhnk. ad Vell. Paterc. II. 92. *Aberat in ordinandis Asiae Orientisque rebus Caesar, circumferens terrarum orbi praesentia sua pacis suae bona.* Ubi *sua suae* merito eum offendebat. Legit: *praesentia pacis suae bona.* Velleius, puto, et hic elegantiam quandam affectavit, scripsitque: *praesens praesentia pacis suae bona.* Ut in Ciceronis Epist. ad Famil. I. 9. *Qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores et praesentiores praesens capere potuisses.*

Dives Antiquo censu. Porphyrio: „Hic (hoc) est, parvo censu dives.“ Servius ad Aen. VII. 537. *Ausoniisque olim ditissimus arvis.* „Secundum antiquum morem. Horat. II. Epist. III. 168. *Dives antiquo censu.*“ Ubi pro *Epist.* scribendum erat *Serm.* et notandum quod in alio MS. lege-

Fertur et haec moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: „Postquam te talos, Aule, nucesque
„Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
„Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem,
„Extimui, ne vos ageret vesania discors,
„Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
„Quare per divos oratus uterque Penates,
„Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
„Quod satis esse putat pater et natura coercet.
„Praeterea ne vos titillet gloria, iure
„Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve
„Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
„In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
„Latus ut in circo spatiere et aëneus ut stes,
„Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
„Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
„Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?“
„Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?“

batur *sensu*. Servius *olim* interpretatur Horatii *censu antiquo*, non cogitat de *dives agris* et *dives agrorum*. Dubito an Burm. ad Petron. 79 hoc intellexerit.

Latus ut in circo spatiere. Heinsius coniiciebat *lentus*. Bentleius explicat vulgatum, tamquam dictum eodem sensu et pari metaphora, qua *sublimis incedere*, cuius, et huic similis formulae, multa exempla apponit, *lati* nullum, nisi quod Senecam Epist. 115. *omnium istorum, quos incedere altos vides, bracteata felicitas est:* non *altos* sed *latos* scripsisse suspicetur. Ego dudum ex isto Senecae loco Horatium esse emendandum putavi: *Altus ut in circo spatiere*. Horat. Carm. IV. IX, 44. *Reiecit alto dona nocentium Vultu*. Petron. 5. *Nec curat alto regiam trucem vultu*. Qui altus spatiatur, alto vultu reiicit, trux est, homines et res despicit, tam bono quam malo sensu.

Doderlinus defendit *latus* pro *elatus*.

Astuta ingenuum vulpes imitata leonem. Commentator: „Quod leo viribus, hoc vulpes conatur astutia facere.“ Constructio autem sic explicanda videtur: tu vulpes imitaris leonem, filius Oppidii imitaris Agrippam, ut astuto modo consequaris, quod ille consecutus est ingenuo. Ante *vulpes* omittitur *ut, tamquam*, ellipsi Horatio frequentissima, v. c. Epist. I. II. 26. *Vixisset canis immundus, vel amica luto sus*. Sed in tali comparatione praecipue quaeritur, quid filius Oppidii egerit, vulpis minor ratio habetur. Melius putem: *astuta ingenuum vulpes imitate leonem*. Et casus vocativus, et mutatum genus sunt ornamenta sermonis poëtici. Virgil. Aen. IX. 485. *Heu terra ignota canibus date praeda Latinis*.

Ne quis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur? Ex hoc quoque versu apparet, poëtas data opera saepe brevem syllabam produxisse, ut varietati et per eam eleganti negligentiae consulerent. Horatius hic morem vulgatum

„Rex sum.“ „Nil ultra quaero plebeius.“ „Et aequam
Rem imperito: ac, si cui videor non iustus, inulto
Dicere, quod sentit, permitto.“ „Maxime regum,
Dî tibi dent capta classem reducere Troia.
Ergo consulere et mox respondere licebit?“
„Consule.“ „Cur Aiax, heros ab Achille secundus,
Putescit, toties servatis clarus Achivis,

sequi noluit dicens: *Ne velit Aiacem quis humasse, Atrida, vetas cur?*

„Rex sum.“ „Nil ultra quaero plebeius.“ „Et aequam Rem imperito.“ Legendum mihi videtur: *„At aequam Rem imperito.“* Si tu *regnum* ita interpretaris, ut tibi, quidquid velis, iustum iniustum, facere liceat, taceo, qui sim plebeius, *non est cur plura loquamur;* de eo, quod interrogavi, cur vetes Aiacem sepeliri, non amplius quaeram, nou disputabo: at, inquit Agamemnon, iure vetui, neque est cur taceas. Si non iure vetuisse tibi videor, quaere, dic, quod sentis. Bentleius praefert ex MSS. *quaere,* ut haec quoque sint verba Agamemnonis. Horatius varietatem in Dialogismo sectatur. Hanc ego, nisi plane necesse sit, haud minuam. Praeterea dubito an in eo simile inveniatur exemplum brevis vocalis, positione debili sic productae. Neque in annotatione Lennepiana ad Terent. Maurum. p. 411. accuratissime, ut a Lennepio, scripta, inveni, quo *quaere plebeius* satis defendatur. Lucretii VI. 818. *Exspiratque foras in apertã promtaque coeli;* Catulli IV. 10. *et ultimã Britannia,* et quae infinita ex Comicis addi possent, non ad Horatium facere arbitror.

Doderlinus legit: *Nil ultra quaeres plebeius.* Oratio illi videtur magis convenire Agamemnoni regi, obedientiam statim poscenti, *quaeres* fortius esse quam *quaere,* neque ultimam imperativi per talem positionem, mutae cum liquida, recte produci.

Dî tibi dent capta classem reducere Troia. In MSS. nonnullis est *deducere.* Bentleius hoc praefert, non metro timens, sed sententiae vulgati. Quippe haec, ait, in Asia dicuntur, ubi in agro Troiano insepultus iacuit Aiax: *deduci* igitur inde debuit classis, ut postea ad Graeciam appelleretur. *Reduci* vero eam rursus in Asiam, qui Deos oret, is sane malam pestem et magnum infortunium Agamemnoni precatur. Haec mihi non recte disputata esse videntur. Classis, puto, *deducitur* ex litore, in quo stat, in mare. Est illud praeparatio vel initium itineris. Quot mala interea possunt accidere, ut Agamemnoni acciderunt, prius quam classis sit *reducta!* Qui Deos orat, ut *dent reducere,* plus optat, quam qui *deducere.* Qui classem *capta Troia reducit,* reducit inde, quo antea duxit. Nemo cogitat de *reducenda* Troiam ex Graecia, nemo non, ex Troia in Graeciam. Et si Troia esset capta, cur Agamemnon classem in agrum Troianum reduceret? Si necessarium esset, *capta Troia* explicari poterat *reducere Troia,* ab Troia capta. Ut Horatius *classem reducere,* ita Plautus Bacchid. IV. IX. 147. *exercitum reducere.* Chrysalus ibi iocans factum suum cum *Pergamo vastato* comparat: *Salute nostra, atque urbe capta per dolum Domum reduco integrum omnem exercitum.* Idem in Amphitr. I. I. 52. *Si, quae asportassent, redderent, se exercitum extemplo domum Reducturum, abituros agro Argivos.* At in vs. 60. recte legitur: exercitum *deducerent,* quia hostes loquuntur.

Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?"
„Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulixem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans."
„Tu, quum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas?" „Quorsum?" „Insanus quid enim Aiax
Fecit, quum stravit ferro pecus? Abstinuit vim
Uxore et gnato; mala multa precatus Atridis,
Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Ulixem."
„Verum ego, ut haerentes adverso in litore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine divos."
„Nempe tuo, furiose!" „Meo, sed non furiosus."
„Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur, atque

Verum ego ut haerentes adverso in litore naves Eriperem. Non facile intelligitur quid sit litus *adversum*. Variae interpretationes testantur. Optime Wustemannus, *litore Graeco*, adverso illi litori, Troico, in quo Agamemnon loquitur. Sed vel sic *adversum* tam parum significat, ut abesse malles. Nam cum praecessit *Aulide* satis apparet, ubi naves Graecae haeserint. Quid sententia poscat, non est obscurum. Adversa nempe tempestas Graecam classem in Aulide tenebat. Naves ibi in litore haerebant, quasi solo infixae. Deduci non poterant ob ventos semper contrarios. Fortasse legendum: *Verum ego ut haerentes adverso ibi sidere naves Eriperem.* Siderum ortus vel occasus variam tempestatem faciunt. Hinc *sidus hibernum*, *adversum*, idem quod *procellosum*. Virg. Aen. IV. 309. *Hiberno moliris sidere classem.* Lucan. V. 408. *pavidas hiberno sidere classes.* Conf. Gronov. Observ. III. 15. Agamemnon, Troia revertens, tale *sidus* expertus est. Virg. Aen. XI. 259. *scit triste Minervae Sidus et Euboicae cautes.* Solinus XI. *Argivam classem vel Minervae ira, vel, quod certior prodit memoria, sidus Arcturi gravibus affecit casibus.*

Nempe tuo, furiose. Meo. Plaut. Casin. V. IV. 28. St. *Tuae fidei credo?* Cl. *Meae.*

Qui species alias veri scelerisque tumultu Permixtas capiet. Bentleius distinguit: *Qui species alias, veri scelerisque tumultu Permixtas capiet.* Coniicit quoque *species falsas* vel *vanas.* Horkelius: *alias veris, cerebrique tumultu Permixtas.* Apitzius: *alias veris celerisque* hoc est *celeres*, ut in Carm. I. XVI. 24. *celeris iambos.* Mihi in mentem venit: *Qui species falsas veri scelerisque tumultu Permiscet capitis.* Qui concipit falsas rerum species, nec scelus a vero discernit, sed ea tumultu capitis permiscet. Satir. II. II. 73. *at simul assis Miscueris elixa, simul conchylia turdis, Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum Lenta feret pituita.* Vox *tumultus* saepe ad *animum*, *mentem* refertur: *caput* magis est Satiricum. Ita Satir. II. VI. 34. *aliena negotia centum per caput saliunt.* In Commentatore est *mentis agitatione*, quod non differt a *tumultu capitis*;

Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Aiax quum immeritos occidit, desipit, agnos;
Quum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi, quum tumidum est, cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem ut gnatae paret, ancillas paret, aurum,
Rufam aut Pusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem; interdicto huic omne adimat ius
Praetor, et ad sanos abeat tutela propinquos:
Quid, si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? Ne dixeris. Ergo ubi prava
Stultitia, hic summa est insania; qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

caput agitatur ut mare *tumultuosum*. Conf. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II. 79. *Dum inter ducem et supplicem tumultuatur*; qui significationem *tumultus* egregie illustrat.

Doderlinus laudat Blandin. Cod. scripturam, eamque sic exponit: „et is, qui species alias quam veras capiet, et ille, qui species sceleris tumultu permixtas capiet, uterque commotus vel insanus erit. *Habebitur* non est idem quod *putabitur*, sed revera *erit*."

Forti marito. Interpretantur *generosum et honoratum*, et Satir. II. v. 64. *forti nubet procera Corano Filia Nusicae*: strenuum militem, et ingenio promptum et liberum. Credo *fortem* maritum esse *non mollem*, robustum, ut fortis dicitur agricola Tibull. II. II. 14. Virg. Georg. III. 288. Sive *fortis*, hinc, sive a *proelio* ad maritum transfertur, qualis metaphora ex Petronio nota est, *maritus fortis* lepide opponitur *agnae*, animalculo tenero. Hinc emendem Plaut. Most. III. II. 165. *Tam placida est, quam est aqua*. Si Plautus *aquam* comparat, addit aliquid, quo *aqua* esse *placida* intelligitur. Mil. Glor. III. I. 70. *Opus leni? leniorem dices quam mutum est mare*. Ubi leg. *Opusne*. Poen. I. II. 142. *Iam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis Quam mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos*. In Mostellaria legendum videtur: *Tam placida est, quam est agna*. Terent. Adelph. IV. I. 18. *quum fervet maxime, Tam placidum quam ovem reddo*.

Ad sanos abeat tutela propinquos. Hic abeat tutela, ipse est tutela, ut Propert. IV. VIII. 3. *Lanuvium annosi vetus est tutela Draconis*. ubi Burm. alia attulit. Ille *abeat*, ut vs. 246. *quorsum abeant?*

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis. Accipiunt pro *hominibus cruentis*, bellatoribus vel cultoribus Bellonae, qui sibi lacertos et humeros concidunt, vel *rebus cruentis, cruore*. Requiritur, puto, aliquid, quo Bellona eum circumtonuit. Quid autem *circumtonuit?* Interpretantur, circumtonuit tuba bellici furoris, attonitum ἐμβρόντητον facit, circumtonare solet. Fac, *Bellona tonuit circum hunc* non differre a solito *Bellona hunc attonuit*, non perspicue satis ex *gaudens cruentis* intelligitur mos fanaticus sacerdotum, qui se cruentabant. Non credo

Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum!
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant. Quid tum? Venere frequentes;
Verba facit leno: „Quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum, et vel nunc pete vel cras.“
Accipe, quid contra iuvenis responderit aequus.
„In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum

Horatium fecisse talem versum: Conieci: *Hunc circumsonuit gladiis Bellona cruentis.* Agamemnon scelus admiserat ob titulos inanes, cupiditatem gloriae militaris ineptam: fuit sceleratus, atque adeo furiosus. Fama vitrea, splendens et fragilis ut vitrum, oculos mentis illi praestrinxerat, et in furorem egerat. Poëta in *gladiis cruentis* respicere potuit sacerdotes Bellonarios, quos Dea primum ipsa gladiis cruentis circumsonat, quo exemplo irritati, faciunt, quod Lactant. Instit. I. XXI. dicit: *„sacra alia Virtutis, quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exserentes, currunt, efferuntur, insaniunt.* Verba *circumtonare* et *circumsonare* in MSS. fere nusquam non confunduntur. vide Heins. ad Ovid. Metam. I. 187. et Claudian. de Nupt. Hon. et Mariae 132. Spectandum modo, utrum sententiae loci melius conveniat. In Ovidio quidem, *Nunc mihi, qua totum Nereus circumtonat orbem, Perdendum est mortale genus*, sententia omnino postulat *circumsonat*, quia non est quaestio Oceani *irati, insani, furentis*, sed tantum *circumflui. Arma, gladii* aliquem *circumtonant* est magis Lucani, quam Virgilii et Horatii. Virgil. VIII. Aen. 474. *Hinc Rutulus premit, et muros circumsonat armis.* Ubi in Med. a manu secunda erat *circumtonat.* Burmannus se hoc non reiecturum dicit, si pluribus MSS. firmaretur. Ergo apud eum plus valebat tam leve unius literulae discrimen, quam sana ratio.

Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. Deest, ni fallor, copula: *Vincet enim et stultos ratio insanire nepotes.* Demonstraverat homines variis modis insanire. Nunc arripit luxuriam nepotum, et hos quoque morbo animi, ut de quibus dixerat, laborare ostendet.

Quid tum? venere frequentes. Bentleius: *qui cum venere frequentes.* Meinekius: *Quid tum? ut venere frequentes. Quid tum?* putat, ibi tantum locum habet, ubi aliquid miri et inexspectati indicatur; venisse autem omnes istos, quos convocarat Nomentanus, homines, mirum profecto non erat. Recte, credo. Etiam Commentator: „Quid tum? postea quam omnes convenerant.“

Mirum illud et inexspectatum, iudice Doderlino, est in *muneribus*, quae nepos iis donat, qui convenere. Responsum ad *quid tum* differtur ad augendam audiendi cupiditatem, et datur in *accipe* sq.

In nive Lucana dormis ocreatus. Bentleius hic desiderat *tu*, ut supra vs. 212. ubi alia addidit similia. Et

Coenem ego: tu pisces hiberno ex aequore verris.
Segnis ego, indignus, qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi decies! tibi tantumdem! tibi triplex,
Unde uxor media currit de nocte vocata!"
Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
Scilicet ut decies solidum exsorberet, aceto
Diluit insignem baccam: quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
Quinti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia et nugis pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemtas,
Quorsum abeant? sani ut creta, an carbone notandi?
Aedificare casas, plostello adiungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his ratio esse evincet amare,
Nec quidquam differre, utrumne in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores, quaero, faciasne quod olim
Mutatus Polemo? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero quum poma, recusat;
„Sume, Catelle!" negat: si non des, optat. Amator
Exclusus quî distat, agit ubi secum, eat an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
Invisis foribus? „Ne nunc, quum me vocat ultro,

quae sequuntur, *tu pisces — tibi decies — tibi tantundem — tibi triplex*, satis ostendere videntur necessitatem pronominis inferendi. Bentleius legit: *Tu nive Lucana* vel *Tu in nive Lucana*. Coniicio: *In nive tu cana dormis ocreatus*. Sic in noto versu: *Furius hibernas cana nive conspuit Alpes*. Virgilius I. Georg. 43. *canis montibus:* ubi Serv. „albis ex nive." Eleganter quidem diceretur *nive Lucana*, propter *aprum Lucanum:* sed *aequor* quoque *hibernum* appellat, non epitheto proprii nominis insignit. Et *tu* omnino postulatur, etiam propter *coenem ego*. Horat. Epist. I. x. 6. *Tu nidum servas. Ego laudo ruris amoeni Rivos*. Plaut. Casin. III. vi. 5. *Tu amas. Ego esurio*. Qui locus pertinet ad corrigendum alterum in eadem fabula IV. iii. 4. St. *quid agis, mea Salus?* Ol. *Esurio hercle, atque adeo haud sitio*. Leg. *aeque adeo ac sitio*.

Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? Non, si obsecret.“ Ecce
Servus, non paullo sapientior: „O here, quae res
Nec modum habet neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursum: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.“
Quid, quum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid, quum balba feris annoso verba palato,
Aedificante casas quî sanior? Adde cruorem
Stultitiae atque ignem gladio scrutare modo, inquam,
Hellade percussa Marius quum praecipitat se,

Balba feris annoso verba palato. Interpretantur, per constructionem inversam, *feris palatum verbis.* Gesnerus metaphoram a plectro et fidibus ducit. Fortasse Horatius ridiculum quaesivit in verbis feriundis palato, eoque annoso, tamquam *incude*, qua nummi feriuntur. Ut autem nummi novi, ita et verba *nova* feriuntur. Epist. ad Pison. 59. *Signatum praesente nota procudere nummum.* Fronto pag. 232. *Ne quod novum verbum ut aes adulterinum procudat.* In huiusmodi blanditiis multa verba feriuntur, cum nova, tum novae significationis. *Ferire* cognitum est vel ex Triumviris *a. a. a. flando, feriundo.* Sed *balba* mihi non placet. *Balba* dicit, *balbutit*, qui balbutientes imitatur. v. c. *pueros*, ut Satir. I. III. 48. *Balbutit Scaurum.* Senex noster iuvenem imitatur: iuvenis *blanda* verba, *blanditias* dicit. Senem non decet amare, *Dicere nec cano blanditias capite*, ut est apud Tibullum. Sed quomodocunque locum Horatii interpretere, *seris*, ut nonnulli volunt, minime admittam.

Doderlinus verum putat, quod est in MS. Bad. I. *feres*, id est, *profe-res, loqueris: annoso palato*, quale est *palatum annosi senis*, cuius senis vocem balbutientem ineptus amator imitatur. Comparat ex Anthologia τραυλίζει φίλτρα, et Hesychii: τραυλόν. ἡδὺ, λεπτόν. Alii aliter interpretantur; Ianus: *feris*, ex palato protrudis ut vix intelligantur; Oelschlagerus: *feris*, corrumpis, ore senis pronuntiata fiunt *balba*, τραυλὰ, μὴ τορά. Ista Doderlino non placent. Nec mihi.

Modo, inquam, Hellade percussa Marius cum praecipitat se, Cerritus fuit? Coniicio: *modo, inquam, Hellade percussa Marii se praecipitantis.* Cerritus fuit? an mente commota? Adde, ait, iram cruentam amori, auge stultitiam crudelitate *modo*, inquam, *Marii*, in modum Marii, nempe ut Marius fecit, cum se, Hellade percussa, praecipitavit. Quid ergo? dices eum non fuisse insanum, quem sceleratum fuisse negare non potes? In his fere secutus sum interpretationem Commentatoris. *Modo Marii*, ut *apis Matinae more modoque carpentis thyma. Praecipitantis* melius certe est, quam *praecipitât* acceptum per syncopen pro *praecipitavit.* Verbum

Cerritus fuit, an commotae crimine mentis
Absolves hominem et sceleris damnabis eumdem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat, et, „unum
Quid tam magnum?“ addens, „unum me surpite morti!

inquam ita interdum ponitur, ut explicandis, aut connectendis iis quae antecedunt, inserviat, necmultum differat ab *scilicet, nempe, verbi caussa*, prout sententia postulat. Meinekius ex coniectura Caroli Frankii edidit: *atque ignem gladio scrutare modo, in quem Hellade percussa Marius cum praecipitat se.* Voluit, credo: scrutare ignem eo modo, quo scrutatus est Marius, cum se Hellade percussa praecipitat. Pulchre.

Doderlinus putat Vogtium fuisse primum, qui recte interpretatus sit: Perfodias insuper gladio ignem, amorem, amicam tuam gladio, ut Marius fecit, ita modus furoris erit impletus. Idem Frankii emendationem recepit *in quem* pro inepto *inquam*.

Cognata vocabula rebus. Horkelius legebat: *non nata.* Meinekius edidit. Rectius puto *cognata*, hoc est, interprete Scholiasta, *diversa quidem, sed non multum inter se distantia.* Sic est consuetudo vulgaris. *Bene sanum* ac non incautum vocat *fictum* et astutum, ut Satir. I. III. 61. *simplicem* vocat *sensu communi carentem.* In omnibus istis cernitur aliquod vinculum, cognatio, sunt vicina, *propinqua, finitima, apposita*, ut appellantur. Quintil. II. XII. 4 *Est quaedam virtutum vitiorumque vicinia, qua* maledicus *pro* libero, temerarius *pro* forti, effusus *pro* copioso *accipitur.* Talia multa attulit Cort. ad Sallust. Catil. 52. Sint igitur vocabula non vera, sint falsa, si dicuntur *rebus non nata*, viciniam magis excludunt, quam mos patitur.

Doderlinus *cognata* defendit, et melius iudicat coniungere *ex more damnabis*, quam *ex more imponens*, et *imponens* accipere tamquam epexegesin verborum *ex more.*

Quid tam magnum? addens, unum me surpite morti. Ita in melioribus MSS. Olim edebatur *quiddam magnum.* Bentleius explicat: non magnam rem postulo, ut unum saltem ex tot milibus morti eripiatis. Vobis certe, o Dî, hoc factu facillimum est. Recte autem Gesnerus animadvertit, sententiam munus extenuantis iam inesse in verbis *Dîs etenim facile est:* neque Flaccum esse nugacem. Praeterea illud *de tot milibus*, quod Bentleius explicandi caussa apponit, melius ab ipso poëta esset additum: nunc non sine vi quadam ex versu torquetur. *Addens* quoque significationem habet parum certam, rectiusque conveniret alteri lectioni *Quiddam magnum addens.* Quod ipsum tamen quomodo esset accipiendum, nemo divinaverit. Ergo ad solemnem aliquam exsecrationem, formulas, nomina Deorum, alia confugiunt. Coniicio: *unum, Dîs etenim facile est, unum,* me surpite morti, Cui tam magnum, *addens, orabat.* Senex unum, unum hoc orabat, quod Diis esset facile, *me surripite morti:* et addebat, *cui tam magnum sit!* Versus Theognideus Horatio ante oculos fuisse videtur: Ἄρτεμι θηροφόνε — Εὐχομένῳ μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε. Σοὶ μὲν τοῦτο, θεὰ, σμικρὸν, ἐμοὶ δὲ μέγα. Et *facile* huic rei proprium. Iam Homerus: ῥεῖα γὰρ ὥστε θεός. Plautus Amphitr. Prolog. 139. *facile meus pater, quod volt, facit.* Ovid. *Quod superi voluere, peractum*

Dîs etenim facile est“ orabat: sanus utrisque
Auribus atque oculis, mentem nisi litigiosus
Exciperet dominus, quum venderet. Hoc quoque vulgus
Chrysippus ponit foecunda in gente Menenî.
„Iupiter, ingentes qui das adimisque dolores!“
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,
„Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit.“ Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet;
Quone malo mentem concussa? timore deorum.
Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque

est. Lucian. Navig. 28. *ἀλλὰ, δύνανται γὰρ ἅπαντα οἱ θεοὶ, καὶ τὰ μέγιστα εἶναι δοκοῦντα, αἰτῶ δὴ βασιλεὺς γενέσθαι.* Unum orabat, ut Virgil. Aen. VI. 106. *Unum oro.* IX Aen. 283. *Te super omnia dona Unum oro.* Addebat precibus hoc beneficium si praestaretur, sibi fore tam magnum. *Addens* ut Satir. I. II. 105. *Leporem venator ut alta In nive sectetur, positum sic tangere nolit, Cantat,* et apponit: *meus est amor huic similis.*

Sapientum octavus. In MSS. Porphyrionis Paulyus invenit: EIITACO-ΦOIXAIPETAITONOYKATAΘONOIII-KOPYBONOUCYNAPIΘMEOMEN. Versum esse nemo dubitabit. Effeci: *Ἑπτα σοφοὶ χαίροιτε. τὸν οὐκ ἀγαθὸν δὲ Κόρυμβον οὐ συναριθμέομεν.* Sive sit Epigramma metro heroico cum pentemimeri heroica, sive particula maioris carminis. Fortasse Commentator idem ante oculos habebat, scribens: „septem fuere sapientes Graeciae. Hunc Stertinium adnumerat, quasi octavum, ludendo.“ Sic auctor Graeci versus Epigramma scopticum in Corumbum fecit: salvete mihi vos, o septem sapientes. Corumbum autem, quum sit malus homo, vobis non adnumeramus, Corumbum non appellamus octavum sapientum, ne ioco quidem.

Dixerit insanum qui me, totidem audiet. Qui me dixerit insanum, *tot* audiet. Quid? Interpretantur *quoties— toties, quale — tale.* Semper, puto, desideratur substantivum. Quid sententia postulet, non latet. Qui me insanum dixerit, hunc eodem nomine compellabo. Par pari referam. Fortasse Horatius scripsit: *Dixerit insanum qui me, statim idem audiet.* Versus quidem haud pulchre pedibus incedens, sed tanto melior sententia. Et, si quis quaerat, fortasse in Satiris et Epistolis hic illic inveniet versum non molliorem. Mollius erat: *Dixerit insanum qui me, sat idem audiet,* Satis audiet, saepe, saepius, quam gratum erit, audiet. Horatius quoque potuisset: *Dixerit insanum quae in me, totidem audiet.* Quae ille, a quo compellatus sum, in me dixerit, totidem a me audiet: *in me insanum,* tamquam, *ut insanum;* Horatius *ut* saepissime omittit. *Dixerit in me* ut Plautus Curcul. IV. I. 17. *Qui alteri de nihilo audacter dicunt contume-*

Respicere ignoto discet pendentia tergo.
„Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? Ego nam videor mihi sanus.“
„Quid? caput abscissum manibus quum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?“
„Stultum me fateor, liceat concedere veris,
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me

liam, Et qui ipsi sat habent, quod in ipsos vere possit dicier.

Doderlinus: „Si locus non est corruptus, in *totidem* cogitantur *convicia* vel *nomina*, quod assumendum ex *insanus*. Ita Orellius. Sententia tamen et haec esse potest: qui me insanum dixerit, totidem insanias, vel insaniae documenta, pendere tergo ignoto, atque pendentia respicere discet. Cui neutrum placeat, is fortasse emendet: *Dixerit insanum qui memet, idem audiet.*“

Respicere ignoto discet pendentia tergo. Omnes comparant Catulli XXII. *Non videmus manticae quod in tergo est:* et Phaedri, IV. 9. *mala nostra videre non possumus.* Atque ita in Graecis fabulis, *οὐχ ὁρῶσι.* Sed quomodo quis *respicere* potest, quod in tergo pendet? Non habet oculos in occipitio. Soli hoc Iano datum, qui sua terga videbat, et is quidem solus de superis. Recte Lucretius IV. 115. *atque alios alii irrident. Nec sua respiciunt miseri mala maxima.* Quippe *tergi* non est cogitatio, ut neque in in Horatiano: *Cum tua praevideas oculis male lippus inunctis.* Persius quoque illud incongruum vitavit, Satir. IV. 23. *Ut nemo in sese tentat descendere, nemo! Sed praecedenti spectatur mantica tergo.* Melius mihi videretur: *Reiicere ignoto discet pendentia tergo.* Discet reiicere, *ἀποβάλλειν*, quae pendent in tergo, quod ipse ignorat, nec videt aut sentit.

Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris. Damnum ex mala emtione et venditione ortum. Emendandus hic est locus Senecae de Benefic. XII. *Nemo Tusculanum aut Tiburtinum emere paratus salubritatis caussa et aestivi secessus, quoto anno empturus sit disputat: cum emerit, tuendum est.* Lipsius varia tentat: *quota empturus, quoto nummo,* vel *quoto anno disputat;* ut reliqua sint e glossematio. Mihi Seneca scripsisse videtur: *quanto damno empturus sit.* Qui ita paratus est emere, non anxie deliberat de pretio, bene an male sit empturus.

Stultum me fateor, liceat concedere veris. Horkelius legebat *lex est concedere veris.* Meinekius: *vincat concedere veris.* Sane difficile dictu est, quid *liceat* significet. Conieci: *Stultum me fatear licet, et concedere veris, Atque etiam insanum; tamen hoc edissere, quo me Aegrotare putes animi vitio.* Esto, ut dicis. Taceo. Quamvis autem taceam, et fatear me esse stultum, et veris concedere, imo et insanum esse, nam *stultum* dicere parum videtur, tamen hoc scire cupio, hoc me doce, quo me animi vitio laborare putes.

Exspectasses *libeat*, ait Doderlinus, sed *liceat* hic idem significat. Quamvis ineptum et turpe videri possit, si quis se ipse vocet stultum et insanum, hoc tamen mihi veritatis caussa facere liceat, ut libet.

Atque etiam insanum. Fortasse: *Adde, etiam insanum.* Fateor vera esse, quae dixisti. Stultus sum, imo insa-

Aegrotare putes animi vitio.“ „Accipe: primum
Aedificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore maiorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: quî ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est,
Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit. Illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?

nus etiam. Iterum ad captandam Damasippi benevolentiam, et mite iudicium. Ex eadem rei confitentis formula Satir. II. VII. 37.: *etenim fateor me, Duci ventre levem; nasum nidore supinor; Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.*

Corpore maiorem rides Turbonis in armis Spiritum et incessum. Qui init certamen singulare, eum habere oportet non modo corpus, vires, sed etiam arma paria adversario. Spiritus audax, incessus superbus, ut Thrasonis, parum valent. Hi non spondent neque praestant victoriam, si corpus et arma non respondent. Ut nunc legitur, est: Turbo in armis, armatus, habet spiritum et incessum maiorem viribus. Quam iners sit illud *in armis* apparet ex Scholio Acronis: „Turbo quidam dicitur fuisse gladiator sive miles exiguae staturae sed magni animi et in proelio fortis, cum esset armatus.“ Quis in proelium venit inermis? Plenior requiritur comparatio: *Corpore maiorem rides Turbonis et armis Spiritum et incessum.* Ut Turbo, si cum gladiatore, viribus et armis longe superiore, congressus, vinceretur, ita Horatius Maecenati erat dissimilis et certare minor. Maecenas longe maiorem potentiam et opes habebat, corpus et arma. Davides I. Regum 17. arma, ipsi a Saulo data, recusabat, quia erant corpore maiora, dicens: *οὐ μὴ δύνωμαι πορευθῆναι ἐν αὐτοῖς, ὅτι οὐ πεπείραμαι.* Igitur sumebat baculum et lapides. Ille habebat spiritum et incessum maiorem corpore et armis, ut putabat Goliathes: *corpore et armis*, ut Claudian. I. Rufin. 350. *Hinc Stilichon turmas, illinc Gradivus agebant, Et clypeis et mole pares.*

Tantum dissimilem et tanto certare minorem? In aliis *tanto.* Fortasse legendum: *Tam te dissimilem, quanto certare minorem.* An aequum et iustum est te facere, quod Maecenas facit, te, inquam, qui Maecenati tam dissimilis sis, quanto minor es cum eo certare. Cogitatur *tanto dissimilis*, verbis non exprimitur, quia minus usitatum est *tanto dissimilis.* Exquisite autem *tam tu* sequente *quanto.* Emendavi nuper Virgilii Georg. IV. 411. *Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnes, Tam tu, nate, magis contende tenacia vincla.* Ubi in Med. erat *tantu.* Vulgo legitur *tanto.* Conf. Mnemosyne Leidensis a. 1861. p. 297.

Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset? Maior dimidio. Num tantum? Cruquius ex MSS. suis dedit: *num tantum, sufflans se, magna fuisset?* Hinc Bentleius effecit: *Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset? Maior pernimio. Num tantum?* Longam annotationem ita fi-

„Maior dimidio.“ „Num tantum?“ Quum magis atque
Se magis inflaret: „Non, si te ruperis,“ inquit,
„Par eris.“ Haec a te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino;
Quae si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem“ — „Iam desine!“ „Cultum
Maiorem censu;“ „Teneas, Damasippe, tuis te.“
„Mille puellarum, puerorum mille furores.“
„O maior, tandem parcas, insane, minori.“

nit: „Quod si eiusmodi est, ut Horatio non tam dari, quam reddi et restitui videatur, equidem eius caussa gaudebo: sin ita est, ut *rò dimidio* nullo pacto ab auctore possit abiudicari; id tamen nostrum omnium interest, ut in veterum scriptis non omnia aeque sine cura discriminis probare videamur.“ Equidem sic semper statui, et statuo: Horatius nunquam scripsit, quod Latinitati et sanae menti adversa fronte repugnat. Si quid repugnet, hoc non illi, sed errori librariorum tribui debet. Si quaerimus, quid Latinitas et sana mens hic postulent, hoc est: *illa rogare, Quantane? et an, (dum sese inflat) sic magna fuisset? Maior dimidio. Num tantum? et cum magis atque se magis inflaret.* Rana rogabat: quantane fuisset ista bellua, et, dum se interea inflat, an tanta fuisset, quanta nunc inflata ipsa esset. Pullus respondet: Maior dimidio fuit. Rana se rursus inflans: num tantum magna fuit? Atque ita semper se inflare pergenti pullus, non si te ruperis, par eris. Quod conieci, proxime accedit ad scripturam MSS. Cruq.: *inflat* melius est quam *sufflat*, quia sequitur *inflaret*. Opus est verbo eodem in re eadem. Et sic Phaedrus I. XXIV. *Rugosam inflavit pellem:* et, *Dum sese vult inflare validius.* Locutio *maior dimidio* explicanda ex more vulgari, fere proverbiali, qua magnitudo rei comparatae simpliciter augetur, non ad vivum resecanda. Inserui *et* ante *cum magis*, quod ad connectendam sententiam requiritur.

Waddelius *Maior dimidio* interpretabatur: rana, se inflando, maior dimidio facta, rogat. Sed agitur, puto, de magnitudine ranae cum vitulo comparata, non de solita ipsius magnitudine cum inflata. Burman. ad Phaedri I. XXIV. eleganter coniicit: *Quantane? Num tandem, se inflans, sic magna fuisset? Maior. Dimidio? Ter tanto.*

Teneas, Damasippe, tuis te. Et abstine te alienis. Tua cures, ut est apud Terentium, non aliena. Plaut. Pseud. IV. VII. 8. *Nec boni ingenii quidquam in his inest, nisi ut im — Probis se artibus teneant.* Petron. 64. *Rogamus nocturnas, ut suis se teneant, dum redimus a coena.* Ubi Schefferus: puta *finibus:* non *finibus* sed *sedibus*, ait Burmannus. Non multum, credo, differt. Simplicissimum erat: *suis se rebus teneant.* Interea, dum redimus, ne nostra curarent, sed quiescerent. Martial. Epigr. III. 16. *Lusisti, satis est: sed te, mihi crede, memento Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua.* In Horatio autem *tua* intelliguntur *vitia*. Porphyrio: „*te tuis vitiis redde.*“ Melius Commentator: „tibi habeto tua vitia, quia cognosco insaniam tuam.“ Talia sunt Graeca ista: *τὰ ἑαυτοῦ ἔργα κομίζειν, ἐργάζεσθαι τὰ αὐτοῦ ἕκαστον.*

SATIRA IV.

„Unde et quo Catius?“ „Non est mihi tempus aventi
Ponere signa novis praeceptis, qualia vincant
Pythagoran Anytique reum doctumque Platona.“
„Peccatum fateor, quum te sic tempore laevo
Interpellarim: sed des veniam bonus, oro.
Quodsi interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox,
Sive est naturae hoc sive artis, mirus utroque.“
„Quin id erat curae, quo pacto cuncta tenerem,
Utpote res tenues, tenui sermone peractas.“
„Ede hominis nomen; simul et, Romanus an hospes.“
„Ipsa memor praecepta canam, celabitur auctor.
Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut succi melioris et ut magis alma rotundis,
Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum.
Caule suburbano qui siccis crevit in agris
Dulcior: irriguo nihil est elutius horto.
Si vespertinus subito te oppresserit hospes,
Ne gallina malum responset dura palato,

SATIRA IV.

Irriguo nihil est elutius horto. Commentator: „Caulis dulcior est qui nascitur in aridioribus locis: suburbana autem loca rivis abundant. *Elutius*, insipidius, dissolutius, liquidius, aquatius, minus sapidum, et fatui saporis.“ Acro: „*Elutius:* Limatius, i. e. minus sapidum.“ Acro sic *elutius* per *limatius* interpretari non potuit. Pluribus, credo, interpretatus est, ut fecit Commentator, sed *limatius* tantum reliquerunt, qui Scholia illius in compendium redegere, ipsum autem vocabulum accepimus corruptum, ex *lymphatius*, unde librarii primum fecere *limphatius*, deinde *limfatius*, tandem *limatius*. Ut ab *aquatus* fit *aquatius*, ita a *lymphatus* fit *lymphatius*.

Ne gallina malum responset dura palato. Commentator: „*Malum*, male.“ Recentiores accipiunt, alii, ut Commentator, alii *responset malum* pro *poenam responset*, alii putant esse *malum!* interiectionem irascentis, Doeringius coniicit *parum responset*. Sed hoc contrarium significaret, quam quod sententia postulat. *Parum responsat* ille, qui non satis resistit. Gronov. Plauti Menaechm. IV. II. 57. in Lect. Plaut. interpretatur: *Numquis servorum deliquit? Num ancillae, aut servi tibi Responsant?* ferociter et irreverenter respondent, obloquuntur. Hoc confirmat tribus Horatii exemplis. Quod ex Plauti Trucul. II. VII. 43, *istuccine mihi respondes?* huc non pertinet, non magis, quam quod prius Plautinum a nonnullis simile iudicatur simplici *respondere*. Forma frequentativa *responsandi* ipsa voluntatem et conatum repugnandi verbis, et, si opus sit, factis, indicat: *responsans* ita repugnat alicui aliquid imperanti, ut servi hero, et milites duci, quando iussa illius inter-

Doctus eris vivam musto mersare Falerno:
Hoc teneram faciet. Pratensibus optima fungis
Natura est: aliis male creditur. Ille salubres
Aestates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem.
Aufidius forti miscebat mella Falerno,

pretantes, in eo fere sunt, ut exsequi nolint. Horatius figurate, ut Satir. II. VII. 85. *Responsare cupidinibus*: 103. *animus coenis responsat opimis.* Epist. I. I. 68. *qui fortunae te responsare superbae Liberum et erectum praesens hortatur et aptat.* Eandem significationem vulgo tribuunt simplici *respondere*, atque ita Horatium esse usum volunt Epist. II. II. 47. *Civilisque rudem belli tulit aestus in arma, Caesaris Augusti non responsura lacertis.* Porphyrio: „*Non responsura*: imparia. Bruti autem arma significat." Sententia quidem interpretationem admittit, an *responsura* admittat, dubito. *Res*, quae non respondet *alteri rei*, non satisfacit exspectationi, quam res altera conceperat; quod praestatur, exspectationem non aequat, dissimile, impar est, non respondet opinioni, optatis non respondet. Horat. Satir. II. VIII. 66. *Responsura tuo nunquam est par fama labori.* Epist. II. I. 9. *Ploravere suis non respondere favorem Speratum meritis. Arma Bruti non responsura lacertis Augusti*, ad eam rationem explicata significarent, Brutum non satisfecisse spei, quam Augustus de eo conceperat, Brutumque adeo et Augustum fuisse amicos. *Respondere* semper similitudinem rerum, ut hoc utar, *amicam* non *inimicam* indicat, certe non talem, qua Brutus, in pugna Augusto impar et ab eo victus, Augusto *non respondisse* diceretur. Afferri video bina Ciceronis exempla, unum ex Catilinaria II. 11. alterum ex Epist. ad Attic. IV. 10. Neutrum, quod hic erat probandum, mihi satis probare videtur. Catilinaria: *Urbes, coloniae, et municipia respondebunt Catilinae tumulis silvestribus*: Ad Atticum: *Ut possim tibi aliquid respondere.* Sed de istis alii viderint: sunt enim obscura: nec Catilinariarum auctoritati multum tribuo. Nisi meliora afferantur, Horatium in Epist. II. II. 47. scripsisse putabo: *Civilisque rudem belli tulit aestus in arma, Caesaris Augusti responsatura lacertis.* Arma, quae scilicet resistere auderent et possent lacertis Augusti! Ironice loquitur de militia sua; hic Philippi eum demisere humilem pennis decisis, in Carminibus: *Philippos et celerem fugam* Sensit *relicta non bene parmula.*

Sed redeo ad versum nostrum: *Ne gallina malum responset dura palato.* Si *malum* adhuc a nemine explicari potuit, ita ut castigatae Latinitati convenit, verbum esse corruptum verosimile videtur. Cur Horatius non scripsisset: *Ne molli gallina resistat dura palato.* Prima corruptelae caussa in vocabulis transpositis: *Ne gallina molli.* Vocabula in Satiris et Epistolis centies fuisse transposita, nemo ignorat, et iam alibi, ut fontem vitiatae scripturae uberrimum, notavimus. Iam *molli* erat mutandum, *male* repugnabat metro, ergo scribebatur *malum*, mutandum erat *resistat*, scribebatur *responset*. Iam *dura gallina* pulchre opponitur *molli palato.*

Doderlinus quoque discrimen inter *respondere* et *responsare* animadvertit, nec recusaret *malum respondeat* pro *male: malum* tamen potius accipit quasi in parenthesi positum, ut *indignum!*

Mendose, quoniam vacuis committere venis
Nil nisi lene decet: leni praecordia mulso
Prolueris melius. Si dura morabitur alvus,
Mitulus et viles pellent obstantia conchae
Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.
Lubrica nascentes implent conchylia lunae;
Sed non omne mare est generosae fertile testae.
Murice Baiano melior Lucrina peloris,
Ostrea Circeiis, Miseno oriuntur echini,
Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.
Nec sibi coenarum quivis temere arroget artem,
Non prius exacta tenui ratione saporum.
Nec satis est cara pisces averrere mensa,
Ignarum, quibus est ius aptius et quibus assis
Languidus in cubitum iam se conviva reponet.
Umber et iligna nutritus glande rotundas
Curvat aper lances carnem vitantis inertem:

Vacuis committere venis. Seneca Epist. 122. Illi *non videntur tibi contra naturam vivere, qui ieiuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, et ad cibum ebrii transeunt?*

Nec satis est cara pisces averrere mensa. In aliis *avertere.* Unde legi poterat *avellere.* Pisces in mensa venduntur, mensa pisces vendit. Qui vendit rem delicatissimam, ea res illi non sine immenso pretio quasi *avellitur*, nec nisi invitus emtori tradit. Commentator: „averrere mensa: *eruere et auferre.*" Fortasse legendum *eripere.* Horat. Satir. I. II. 103. *pretium avellier.* Terent. Eunuch. III. III. 14. *Credo ei placere hoc: sperat se a me avellere.* Donatus: „Bono usus est verbo *avellere*, tamquam a pertinaciter retinente." Mensa est *mensa piscatoria.* Ita veteres Scholiastae. Gronovius *avertere mensa* explicabat fraudare mensam alicuius delicati obsonio illo: Bentleius *averrere mensa*, neque sufficit pisces impenso pretio coëmtas in mensa sua exhibere, qui pro reliquiis *averrantur*, ut pote quos nemo convivarum tangere velit, propterea quod aptum cuique condimentum desit. Si, quod simplicius est, idem est verius, *mensa piscatoria avellere* sua se veritate in hac caussa commendat.

Doderlinus cum Duntzero *averrere* explicat omnes pisces ex mensa tollere, ut nullus supersit. Comparant Martial. II. 37. *Quidquid ponitur hinc et inde verris.*

Ignarum quibus est ius aptius, et quibus assis. Horatius in hac Satira Ennii Hedyphagetica ante oculos habuisse videtur. Appul. Apolog. p. 490: de Ennio, qui alios pisces *multis versibus decoravit, et, ubi gentium quisque eorum inveniatur, ostendit, qualiter assus aut iusculentus optime sapiat.*

Curvat aper lances carnem vitantis inertem. Caro *iners* non est simpliciter *insipida*, nec quidquam habens, quo palatum suaviter afficiat: sed non habens vim altricem, quantam caro apri iligna glande pasti. Seneca Epist. 95. *Ostrea, inertissimam carnem,*

Nam Laurens malus est, ulvis et arundine pinguis.
Vinea submittit capreas non semper edules.
Fecundae leporis sapiens sectabitur armos.
Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas,
Ante meum nulli patuit quaesita palatum.
Sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.
Nequaquam satis in re una consumere curam;
Ut si quis solum hoc, mala ne sint vina, laboret,
Quali perfundat pisces securus olivo.

coeno saginatam, nihil existimas limosae gravitatis inferre? Nemo Romanus *ostrea* ipsa vocaret *insipida*. *Insipidum* saepe ex *inerti* nascitur, non necessario sequitur. Plin. H. N. xx. 22. *Blitum iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia ulla.*

Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas, Ante meum nulli patuit quaesita palatum. Ego binis versibus locum esse multo commodiorem arbitror post vs. 39. *Languidus in cubitum iam se conviva reponet.* Antea dixerat de gallina et multa de piscibus. Praecepta de piscibus in isto versu finiuntur. Et de *natura* piscium sane non pauca praecepit. De *aetate* nihil. Catius quidem, quamquam festinans, aliquem tamen ordinem in hac enarratione observat. Iam philosophi est quaerere de *natura* piscium et avium, in qua re multa sunt supra captum et doctrinam cocorum; de *aetate* quaerere, non tam difficile est, quin ipsis cocis tuto relinqui possit. Atque *aetas* plerumque se ipsa in magnitudine, forma, aliisque rebus aperit. Fortasse Catius aliud audivit, v. c., *Piscibus atque avibus quae natura afferat atque ars.* Artem quivis sibi non temere arroget, ut dicit vs. 35. Atque *ars* raris contigit, ut in poësi: *Natura fieret laudabile carmen an arte Quaesitum est*, dicit Horatius in Epist. ad Pisones. Sicut in aliis laudibus, cum ad naturam eximiam, ait Cicero, *accesserit quaedam ratio confirmatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet existere*, ita in culina fieri magister Catii docuerit. Sciendum igitur non modo, qui pisces sint optimi, *quid natura iis afferat*, verum etiam *quid ars afferat*, quibus assis, quibus elixis convivae suavius utantur, quo iure aptius condiantur. Natura piscibus multum, ars fere haud minus affert. Quod Natura affert, praesertim ex loco natali oritur. Et hoc docuit Ennius, ostendens, secundum Appuleium, *ubi gentium quisque eorum inveniatur*, hoc est *optimus quisque*, ut sententia ostendit.

Praeterea videndum, an non potius legi oporteat: *ante meum nulli patuit quaesita palato.* Ante me quaesitum est de natura et arte, sed nulli palato, ante meum, patuit, quae esset optima natura et ars. Idem ex vulgato non tam perspicue efficias. Hoc eo ducit, ut statuas, quaesita *nulli ante me*, nunc per me primum patuit. Maior laus invenisse, de quo multi frustra quaesivere, quam de quo nullus quaesivit. Tum, credo, Horatius scripsisset: *Ante meum latuit nulli quaesita palato.* Lepide *palatum* posuit, pro *ingenio*, quod ipsum in hac re usitatur, unde et *gula ingeniosa.* Ipse noster mox: *sunt quorum ingenium nova tantum crustula promit.*

Doderlinus *foret* interpretatur *esse deberet.* De tali significatione coniunctivi, quem *coniunctivum duplicatum* vocat, alibi disputavit.

Massica si coelo suppones vina sereno,
Nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura,
Et decedet odor nervis inimicus; at illa
Integrum perdunt lino vitiata saporem.
Surrentina vafer qui miscet faece Falerna
Vina, columbino limum bene colligit ovo,
Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.
Tostis marcentem squillis recreabis et Afra
Potorem cochlea: nam lactuca innatat acri
Post vinum stomacho; perna magis ac magis hillis
Flagitat immorsus refici; quin omnia malit,

Nam lactuca innatat acri Post vinum stomacho. Modo potorem appellavit *marcentem.* Hunc, ait, recreabis squillis et Afra cochlea. Dicerem et *lactuca*, sed ea stomacho acri potoris innatat. *Marcens* et *acer* an recte sic coniungantur dubito, etiam si *acer* significare posset *acer factus*, acri humore affectus. *Marcens* aliud, similius, postularet, v. c. *lassum*, *aegrum:* sed Horatii esse coniicio: *Nam lactuca innatat acris Post vinum stomacho.* Stomachus potoris marcens recreandus est rebus salsis, adderem et *acribus*, ut v. c. lactuca, sed ea innatat stomacho, qui potius ferventia amat, quam lactucam et alia huius generis. Ea, ut et rapula et radices, lassum quidem stomachum pervellunt, Satir. II. VIII. 7, sed non post vinum.

Doderlinus: „Edidi ex coniectura mea *acris*, pro *acri*. Satir. II. VIII. 7. confirmat: *acria circum Rapula, lactucae, radices, qualia lassum Pervellunt stomachum.* Quid enim *acri stomacho*? Eo melius erat *lasso.*"

Perna magis ac magis hillis Flagitat immorsus refici. Alii legunt *in morsus.* Bentleius tuetur *immorsus*, hoc est, *admorsus*, *demorsus*, ut stomachus cibis acrioribus vellicatus, excitatus fuerit. Recte profecto, si pro *immorsus* idonea exstaret auctoritas. Propert. III. VI. 21. *In morso aequales videant mea vulnera collo.* Sic plurima MSS. Heinsius et alii malebant *immorso.* Sine caussa. Nam *videant mea vulnera in collo morso* et sententiae et Latinitati tam pulchre convenit, ut, si in omnibus MSS. legeretur *immorso*, equidem legendum iudicarem *in morso.* Statius Theb. III. 628. *Dum clamat, subit ore cavo Theumesia cornus. Nec prohibent fauces, transmissa morte per artus. Labitur, immorsaque cadens obmutuit hasta.* Quis non videt quanto elegantius sit: *in morsaque cadens obmutuit hasta.* Qui clamabat, obmutuit *in morsa hasta*, dum hastam mordebat, in morsu hastae, *immurmurat hastae admorsae*, ut est apud Silium V. 331. Virgil. Georg. IV. 236. *Illis ira modum supra est, laesaeque venenum Morsibus inspirant, et spicula coeca relinquunt, Affixae venis, animasque in vulnere ponunt.* Valer. Max. III. II. 11. *ingue plenae ultionis morsibus espiravit.* In Vell. Paterculo III. 87. Cleopatra, *frustratis custodibus, illata aspide, morsu sane eius, expers muliebris metus, spiritum reddidit:* Ruhnkenius verba cum Acidalio transponit, *morsu eius, sane expers*, et *in* ante *morsu*, quod erat in libro vetusto, eiicit. Ego cum Vossio et Heinsio servem. Cleopatra spiritum reddidit *in morsu* aspidis, dum ab as-

Quaecumque immundis fervent allata popinis.
Est operae pretium duplicis pernoscere iuris
Naturam. Simplex e dulci constat olivo,
Quod pingui miscere mero muriaque decebit
Non alia, quam qua Byzantia putuit orca.
Hoc ubi confusum sectis inferbuit herbis
Corycioque croco sparsum stetit, insuper addes
Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae.
Picenis cedunt pomis Tiburtia suco:
Nam facie praestant. Venucula convenit ollis;
Rectius Albanam fumo duraveris uvam.
Hanc ego cum malis, ego faecem primus et halec,
Primus et invenior piper album, cum sale nigro
Incretum, puris circumposuisse catillis.

pide mordetur. Heinsius quoque coniicit: *immorsu*. Nollem factum. Nam neque talis substantivi reperitur exemplum. Quod contendit a *mordere* deduci *immordere*, sicuti *admordere*, *demordere*, *promordere*, nihil est. Bentleius eodem argumento *immorsus* defendit. Si hoc usu receptum fuisset, in tanto scriptorum numero pauca saltem testimonia inveniremus. Quare legendum censeo: *Flagitat admorsus refici*. Vocabula ab litera *m* incipientia saepe per librariorum incuriam augebantur syllaba *in*, vel *in* omittebatur. Nec dubito, qnin MSS. fuerint, in quibus legebatur: *flagitat ad immorsus*. Alii correxerunt versum, deleto *ad*, cum delere debuissent *im*.

Quaecunque immundis fervent allata popinis. Bentleius: „perinde est ac si dixisset ferventia afferuntur, a cocis scilicet vel ministris." Sententia, puto, haec est: ferventia, qualia in popinis coquuntur, vehementer irritantia. Nam in convivio, de quo hic agitur, ista non peterentur ex popinis, quae nulli coco essent ignota, et domi melius ac mundius parari possent. Scribendum censeo: *Quaecunque immundis fervent aliata popinis*. Stomachus marcens mavult omnia *aliata*, quaecunque in popinis fervent, quam lactucam, quamvis acrem, vino tamen innatantem. Cibis autem aliatis nihil est ferventius, iudice Horatio, qui simul hic odium, quo herbam detestabatur, expressit. Calorem in Epod. III depinxit: *Nec tantus unquam siderum insedit vapor, Siticulosae Apuliae: Nec munus humeris efficacis Herculis Inursit aestuosius*. *Aliatum* est omnis cibus, cui alium est intritum: conf. Turneb. ad Plauti Mostell. I. 1. 45. Antepenultima in *aliata* contrahitur, ut mox vs. 65. *muria*, et Satir. I. VII. 30. *vindemiator*. Tum *fervent popinis* pro in *popinis*, ut Satir. II. III. 48. *Silvis dextrorsum abit*.

Primus et invenior. Legendum puto: *inveniar*. Qui annales rerum coquinariarum postea evolvent, hi invenient me primum circumposuisse, ego *inveniar* circumposuisse. Variatur in MSS. *inveni*, *invenier*. Idem aliis modis exprimi poterat: *primus inveni circumponere*, ut Sat. II. VIII. 51. *inulas ego primus amaras Monstravi incoquere*: primus inventor circumposui; *circumposuisse* magis postulat *in-*

Immane est vitium, dare milia terna macello,
Angustoque vagos pisces urgere catino.
Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit,
Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumtus? neglectis, flagitium ingens.
Ten' lapides varios lutulenta radere palma,
Et Tyrias dare circum illota toralia vestes,
Oblitum, quanto curam sumtumque minorem
Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?"
„Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
Nam, quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
Non tamen interpres tantumdem iuveris. Adde
Vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
Atque haurire queam vitae praecepta beatae."

veniar. Usus verbi passivi, ut Graecum *εὑρίσκεσθαι*, notus est, frequentissimus ille in N. T. de quo optime exposuit Winerus § 67. In Latinis ipse Horatius Epist. II. 1. 112. *Invenior Parthis mendacior.*

Magna movet stomacho fastidia. In aliis *movent.* Credo in iisdem fuisse *stomachū.* Fastidia movent *stomachum,* turbant, sollicitant. Bentleius recte defendit *movet,* tamquam absolute et impersonaliter.

Doderlinus agnoscit subiecta in *puer* et *limus.*

Sive gravis veteri craterae limus adhaesit. Auctor Queroli p. 131. *Ampullam truncam limosamque densis fultam cerulis.* Ubi Horatii locum comparavit Klinkhamerus, in sua fabulae istius praeclara editione, Amstelod. 1829.

SATIRA V.

„Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
Responde, quibus amissas reparare queam res
Artibus atque modis. Quid rides?" „Iamne doloso
Non satis est Ithacam revehi patriosque penates

SATIRA V.

Iamne doloso Non satis est Ithacam revehi. D. Heinsius coniecerat: *iamne, dolose, Non satis est Ithacam revehi.* Hoc mirifice placet Bentleio.

Adspicere?“ „O nulli quidquam mentite, vides ut
Nudus inopsque domum redeam, te vate; neque illic
Aut apotheca procis intacta est aut pecus: atqui
Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est.“
„Quando pauperiem, missis ambagibus, horres,

Mihi non adeo placet. Caussa enim, cur Tiresias Ulyssem sic alloquatur, non apparet valde idonea. Horatius scripsisse videtur: *Tamne doloso Non satis est Ithacam revehi.* Ulysses rogaverat, ut Tiresias doceret, quibus artibus amissa reparare posset. Tiresias ridebat. Iratus Ulysses: *quid rides?* Tiresias cum paullulum tacuisset, respondet: Rogas cur riserim? Putabam homini tam doloso satis esse Ithacam revehi, eumque viam facile ipsum sine monitore esse inventurum. Ea tibi, tam doloso, melius cognita est quam mihi.

Heindorfius accipiebat *iam non* tamquam *non iam*, i. e. non amplius. Doderlinus hoc esse Latinum negat, non magis quam *nemo non*, *dum ne* pro *non nemo*, *nedum*. Sententiam esse: tua te fortuna in patriam reversi, iam nunc adeo ferocem rebusque tuis non contentum facit?

O nulli quidquam mentite. Ulysses orationem a Tiresia abruptam sic continuat, quasi verba illius non audivisset, eumque blanda allocutione sibi conciliare studet.

Quando pauperiem missis ambagibus horres, Accipe. Hemsterhusius operae pretium duxit annotasse: „Iungenda sunt, *accipe missis ambagibus.*“ Iam Commentator: „omissis multis verbis accipe.“ idem docuerat. Neque aliter potest, nisi per ellipsin interpretemur: quando, missis ambagibus sine ulla circuitione simpliciter professus es, te pauperiem horrere. Simile exemplum verborum ita traiectorum non puto inveniri. Idque eo magis ab Horatio factum esse miror, cum potuisset scribere, v. c. *Angit pauperies? Missis ambagibus, heros, Accipe.* Omnia Latina. Virgil. IX. Aen. 89. *sollicitam timor anxius angit.* Horat. Satir. II. III. 39. *pudor te malus angit:* et absolute Satir. II. II. 64. *hac urget lupus, hac canis angit. Heros* ridicule, qui metu paupertatis angeretur. Horatius Tiresiam et Ulyssem magna verborum comitate se invicem facit alloquentes. Ulysses inceperat: *O nulli quidquam mentite!* Tiresias: *Heros!* Ulysses: *Augur!* Tiresias: *o Laertiade!* Herbstius, ut perspiceretur, quid in constructione verborum poëtis liceret, ea, quae ab ipso Horatio dicta sunt, collegit: *Maxime, quis non, Iupiter, exclamat! Quisquis erit vitae scribam color. Aiax cum immeritos occidit, desipit, agnos. Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes. Paene macros arsit dum turdos versat in igne.* In istis, puto, exemplis nihil est quod quemquam, ne in oratione quidem prosa, merito offendat, excepto *Paene macros arsit.* Ubi tamen in nonnullis MSS. legitur: *Paene arsit macros.* Si idoneam exemplorum copiam, isti *Paene macros arsit* similium, in castigatis poëtis inveniremus, dicerem, eos talia ad cursum orationis impediendum quaesivisse. Adhuc caussam librariis in describendo errantibus tribuere malim. Alia Horatiana, ut dixi, me non offendunt. Horatius ista sic ordinare poëtico mori convenientius putabat, quam si scripsisset: *scribam, quisquis erit vitae color. Agnos cum immeritos occidit, desipit Aiax. Nec ferro occidis genetricem insanus Orestes.*

Video iam Heindorfium *missis ambagibus* ita esse interpretatum: Quo-

Accipe, qua ratione queas ditescere. Turdus
Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
Res ubi magna nitet, domino sene: dulcia poma
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus
Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.“
„Utne tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
Me gessi, certans semper melioribus.“ „Ergo
Pauper eris.“ „Fortem hoc animum tolerare iubebo:

niam sine longa verborum circuitione paupertatem pertimescere te fateris. Wustemannus *missis ambagibus* parenthesi includit, et ista verba tribuit Tiresiae dicenti: *ut mittam ambages*, quia iam multa tecum locutus sum, et tempus urget. Doderlinus facit cum Heindorfio, neque verba Tiresiae tribui posse arbitratur, quia Ulyssi multis respondet, et ambagibus utitur, v. c. in vs. 55 sq. quos ita per ambages obscuritate involvit, ut Ulysses roget: *Num furis, an prudens ludis me, obscura canendo?*

Turdus Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc. I. Douza ad Ovidii Art. II. 169. *Quin etiam turdoque licet, missaque columba, Te memorem dominae testificare tuae:* locum Horatii affert, et scribit: *sive aliquid privum dabitur tibi.* Prudens, an imprudens, ignoro. Sed non libens mutem cum *aliud.* Comparanda est oratio Periplectomenis senis apud Plautum in Mil. Glor. III. 1. 111. sq. quem huiusmodi artes non latebant: *Ille miserrimum se retur, minimum qui misit mihi. Illi inter se certant donis. Ego haec mecum mussito: Bona mea inhiant: certatim dona mittunt et munera.* Ubi legam: *Bona mea inhiant: id certatim mittunt dona et munera.* Lipsius legebat: *certatim nutricant et munerant.*

„Ergo Pauper eris.“ „Fortem hoc animum tolerare iubebo: Et quondam maiora tuli. Tu protenus unde. Si haec facere non potes, dicit Tiresias, eris pauper. Ulysses respondet: „sim pauper. Maiora tuli, quam paupertatem. Tu protenus dic, unde struam divitias.“ Non intelligo talem orationem. Et tamen illud *animum tolerare iubebo* vix referri potest ad *latus Damae tegendum*, ut diceret, secundum Commentatorem: „aut subeundum dedecus est, aut amplectenda pauperies.“ In his quoque non est verosimile Ulyssem tam cito Tiresiae concedere. Nec, qui semper melioribus certasset, maiora *dedecora tulerat.* Ulyssem quidem et Tiresiam magis deceret: *„Ergo Pauper eris.“ „Fortem hoc animum tolerare iubebo.“ „Et quondam maiora tulisti.“ „Protenus unde* sq.“ Tiresias Ulyssem tentat, an vere ita sentiret, ut loquebatur, probe sciens, eum adhuc pudore quodam impediri, quominus assentiretur vati. Callide igitur et iocose dicit: Durum esset, fateor, spurco Damae latus tegere. Ergo pauper eris. Tolerabo hoc forti animo, inquit Ulysses. Tolera, respondet Tiresias. Maiora tulisti, quam paupertatem. Laudo constantiam tuam, et animi magnitudinem. Ulysses, qui speraverat fore ut Tiresias alios modos et artes rei reparandae monstraturus fuis-

Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos.“
„Dixi equidem et dico: captes astutus ubique
Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
Insidiatorem praeroso fugerit hamo,
Aut spem deponas aut artem illusus omittas.
Magna minorve foro si res certabitur olim,
Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
Defensor; fama civem caussaque priorem
Sperne, domi si gnatus erit foecundave coniux.
„Quinte,“ puta, „aut Publi,“ gaudent praenomine molles
Auriculae, „tibi me virtus tua fecit amicum:
Ius anceps novi, caussas defendere possum;
Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet: haec mea cura est,
Ne quid tu perdas, neu sis iocus.“ Ire domum atque
Pelliculam curare iube; fi cognitor ipse;
Persta atque obdura, seu rubra Canicula findet

set, ac timens, ne augur discederet, subito exclamat: *dic protenus unde ditescam.* Dixi, respondet Tiresias, et iterum dico. Non alia est via, quam quae iam a me monstrata est. *Tu* longe melius abest, quia sequitur *augur.*

Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos. I. Schraderus emendaverat *struam.* Ruhnkenius in Praefat. Lexici Schelleriani emendationem istam appellat *palmariam.* Operae tamen pretium arbitror considerasse, quae Scaliger annotavit de loco Plauti Rud. II. VI. 58. *Ibi me corruere posse aiebas divitias.* explicans *coniicere, coacervare,* συναθροίζειν.

Seu rubra canicula findet Infantes statuas. Versus inepti poëtae, quem Horatius ridet. Ineptum *rubra,* ineptum *findet:* quid autem *infantes?* Sive cum Commentatore interpreteris *mutas,* quae loqui non possunt, sive cum aliis, quia in foro stabant, ubi *fari* debebant, sive *recentes,* vix credibile est tale quid vel furioso in mentem venisse. Dicere potuit *fumantes.* Hyperbole tam stulta convenit caniculae rubrae, findenti statuas. Poëta cogitabat fortasse *ligneas,* cum vero vel non addiderit materiem, vel Horatius additam ridiculi caussa omiserit, cogitari quoque possunt statuae marmoreae et aereae.

Doderlinus ridiculum ponit in *infans* pro *mutus,* quam significationem *infans* non amplius habebat, sed aliam acceperat, ut *more puerorum loquentis* vel *indiserti.* Et facile fieri potuit ut Furius Bibaculus, ad exemplum Furii Antiatis, non enim eosdem fuisse puto, nonnulla vocabula ad significationem primariam revocaverit, et alia finxerit. Quod fecisse Furium Antiatem scribit Gell. N. A. XVIII. XI. reprehensum propterea a Grammatico Caesellio Vindice. Vindex quoque hunc versum reprehendit: *Increscunt animi: virescit vulnere virtus.* Ubi in MSS.

Infantes statuas, seu pingui tentus omaso
Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
„Nonne vides," aliquis cubito stantem prope tangens
Inquiet, „ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?"
Plures adnabunt thunni, et cetaria crescent.
Si cui praeterea validus male filius in re
Praeclara sublatus aletur, ne manifestum
Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
Adrepe officiosus, ut et scribare secundus
Heres et, si quis casus puerum egerit Orco,
In vacuum venias: perraro haec alea fallit.
Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
Abnuere et tabulas a te removere memento,
Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo
Cera velit versu; solus multisne coheres,

erat *virescunt*. Gronov. *virtus* contrahi posse ex *virtutes* arbitrabatur. Mihi verum videtur, quod editum est *virescit vulnere virtus*, vel, quod alii volunt, *virescunt vulnere vires*. Ut ut est, poëta *virescere* finxit a *viribus*, quod ex verbis Gellii apparet: „pristinas vires reciperare *virescere*." Quare non assentior Doderlino, putanti Furium scribere potuisse *vivescunt* vel *revirescunt*, *ἀναθάλλουσι*. Quod ad mutatam a Furio significationem *infantis* attinet, Porphyrio Horatium verbo sic usum esse putat Satir. I. VI. 57. *infans pudor*. „Manifestum est *infantem* a *non fando* nunc dixisse; nec enim ad aetatem relatum est." Et loquela infantium et mutorum est eadem. Sed in ista loquela tamen est *sonus*, sunt *κνυζήματα ἄσημα*. Ergo inepte ad statuam referretur.

Cetaria crescent. Commentator: „Cetaria loca sunt iuxta lacum, ubi cete, tynni, et alii pisces capti saliuntur." Legendum *saginantur*. Seneca Epist. 90. *Vivaria piscium, in hoc clausa, ut tempestatum pericula non adiret gula, et quamvis acerrime pelago saeviente, haberet luxuria portus suos, in quibus distinctos piscium greges saginaret.*

Ne manifestum Coelibis obsequium nudet te. Iungemus *manifestum obsequium*, an *te manifestum?* Si *te manifestum*, Horatius, credo, potius scripsisset *manifestum Coelibis obsequii:* ut Sallust. Iug. 35. *Manifestus tanti sceleris*. Sed in utraque constructione obsequium te *nudabit* ita sufficiebat, ut nemo desideraret. Qui *nudatur*, hunc *manifestum* teneri res ipsa loquitur, nec tale verbum explicatione egebat. Egebat magis *coelibis*. Fortasse legendum: *Ne manifesti Coelibis obsequium nudet te*. Recte Acro: „*Coelibis*, hominis sine liberis." Habebat quidem ille filium, sed tam male validum, ut nemo dubitaret, quin brevi esset moriturus. Ergo pater iam nunc quasi coelebs erat, erat *manifestus coelebs*, omnes in eo, quamvis filius viveret, iam nunc orbum agnoscebant.

Doderlinus: „*coelibis*, i. e. tamquam coelibis. Hic autem coelebs non tanto obsequio colendus est, quanto qui iam revera est, ne prodat morbum filii et spem orbitatis esse caussam adulationis."

Veloci percurre oculo. Plèrumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.“
„Num furis, an prudens ludis me obscura canendo?“
„O Laertiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.“
„Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.“
„Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
Demissum genus Aenea, tellure marique
Magnus erit, forti nubet procera Corano
Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque,
Ut legat, orabit. Multum Nasica negatas
Accipiet tandem, et tacitus leget, invenietque
Nil sibi legatum, praeter plorare, suisque.
Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
Libertusve senem delirum temperet, illis
Accedas socius, laudes, lauderis ut absens.
Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum

Corvum deludet hiantem. In Scholio Acronis et haec leguntur: „Recte dixit corvum quia morsibus pascitur.“ Paulyus *morsibus* cum signo interrogationis edidit, dubitans, credo, an ita ab Acrone scriptum sit. Scripsit, puto: *mortuis pascitur.* Fortasse Paulyus haec et alia emendavit in *Quaestionibus Criticis de Acronis et Porphyrionis Commentariis Horatianis;* quem libellum non vidi. Pulchre Commentator: „Nasica, et quicunque inhiant morti alienae, amissa praeda corvi vocantur delusi; non minus enim senibus inhiant ob divitias, quam corvi sectantur cadavera.“

Quidquid dicam, aut erit aut non. Recte iam Commentator: „Aut verum dicam, aut mentiar. Iocatur in ambigua responsa vatum, irridens Apollinem Satirico more.“ Ita quoque acceperat Lambinus, et eleganter explicavit Bentleius. Wyttenbachius comparavit cum vate dialectico apud Ciceron. de Fato VI. Adde Lucianum in Philopat. 15. et 16. qui disputationem ita concludit: *τοῦτο κἀγὼ πολλάκις προὐμαντευσάμην. ἐὰν κτάνῃς τὸν πλησίον, θανατωθήσῃ παρὰ τῆς δίκης. εἰ δέ γε μὴ τοῦτο πράξῃς, βιώσῃ καλῶς.* Coniectura Eichstadii: *o Laertiade, quidquid dicam, ant erit, aut non Divinare mihi magnus donavit Apollo,* est quidem ingeniosa, sed, puto, minus acutam sententiam habet, quam scriptura vulgata.

Doderlinus interpretatur: quidquid dicam fore aut non fore, erit. Horatius, puto, Tiresiae personam ita ridiculam finxit, ut, quo quid scurrilius dictum sit, eo magis ex ore illius exiisse videatur.

Vincit longe prius ipsum Expugnare caput. Horatius lusit in imagine urbis oppugnandae, quae caute adita expugnatur. Lucianus de Calumnia 19. eandem imaginem pinxit de calumniatore astuto: *καθάπερ γὰρ ἐν*

Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors;
Laudato. Scortator erit: cave te roget: ultro
Penelopam facilis potiori trade." „Putasne
Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
Quam nequiere proci recto depellere cursu?"
„Venit enim magnum donandi parca iuventus,
Nec tantum Veneris, quantum studiosa culinae.
Sic tibi Penelope frugi est: quae, si semel uno
De sene gustarit tecum partita lucellum,

πολιορκίᾳ οὐκ ἐπὶ τὰ ὑψηλὰ καὶ ἀπόκρημνα καὶ ἀσφαλῆ τοῦ τείχους προσίασιν οἱ πολέμιοι, ἀλλ' ἔνθα ἀφύλακτόν τι μέρος ἢ σαθρὸν αἴσθωνται ἢ ταπεινὸν, ἐπὶ τοῦτο πάσῃ δυνάμει χωροῦσιν, ὡς ῥᾷστα παρεισδῦναι καὶ ἑλεῖν δυνάμενοι, οὕτω καὶ οἱ διαβάλλοντες, ὅ τι ἂν ἀσθενὲς ἴδωσι τῆς ψυχῆς καὶ ὑπόσαθρον καὶ εὐεπίβατον, τούτῳ προσβάλλουσι καὶ προσάγουσι τὰς μηχανάς, καὶ τέλος ἐκπολιορκοῦσι.

Cave te roget. Fortasse improbus Tiresias ambigue locutus est, et turpius aliquid cogitavit. Nemo quidem Romanus illis temporibus sine risu praetermisisset, quibus mos erat vel ex verbis, quae longe ab obscoenitate absunt, occasionem iocandi rapere. Vide Quintil. Instit. Orat. VIII. III. 47.

Venit enim magnum donandi parca iuventus. Haec variis coniecturis tentantur: *venit magno, venit enim (magnum!).* Venit, *venalis* erat, mihi propterea non placet, quia Penelope sic se ipsa vendidisse, venditasse, procos sollicitasse videretur. Bentleius legebat: *Venit enim (indignum) donandi parca iuventus.* Ita Tiresias dixisset: iuventus ad Penelopen venit, et, o rem indignam, non satis donavit; accusans parcimoniam iuventutis scilicet. Non credo Horatium Tiresiae hanc orationem tribuisse. Conieci: *Venit enim magnum donanti parca iuventus.* Iuventus *venit illi*, pro *ad illam:* Ovid. Art. II. 11. *Non satis est venisse tibi, me vate, puellam.* Martial. I. 71. *Et quia nulla venit, tu mihi, somne, veni.* Quam proprium in his rebus sit *venire*, docuerunt interpretes ad Propert. II. XIV. 34. Plautus in utroque verbo coniungendo lusit, Menaechm. V. IX. 97. *Venibit uxor quoque etiam, si quis emtor venerit.* Ubi fortasse legendum: *Uxor quoque etiam venibit, si quis emtor venerit.* Iuventus autem venit Penelopae *donanti magnum*, donaturae pudicitiam: *donare, dare*, nota sunt. Horat. Carm. III. VI. 27. *Cui donet impermissa raptim gaudia.* Adulter ista emit: *dedecorum pretiosus emtor*, ut Horatius alibi. Tales emtores non erant proci.

Doderlinus sequitur interpretationem *veniendi*, quamquam illi displicet *venit* sic in initio sententiae positum, et *nequiere* postulare videtur *venerat.*

Quae si semel uno De sene gustarit tecum partita lucellum. Melius, puto, legeretur *unum.* Non senex est, quo perducitur, sed *lucellum.* Lucellum est *corium.* Si semel *unum lucellum* gustarit, ut canis corium, deinde a nullo absterrebitur, ut neque canis a corio. Quodcunque lucellum, undecunque arrideat, non a senibus tantum, sed ab omnibus etiam potiundi ea cupidis. De *sene*, nempe isto, quem descripsit. Simile aliquod lucrum memorat Appul. Apol. p. 552. *Olim solens suo, nunc coniugis corpore vulgo meret. Cum ipso plerique de uxoris noctibus paciscuntur. Hinc iam illa inter virum et uxorem collusio. Qui*

Ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.
Me sene, quod dicam, factum est. Anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata: cadaver
Unctum oleo largo nudis humeris tulit heres;
Scilicet elabi si posset mortua; credo,
Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
Neu desis operae neve immoderatus abundes;
Difficilem et morosum offendes garrulus; ultro
Non etiam sileas. Davus sis comicus, atque
Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
Obsequio grassare; mone, si increbruit aura,
Cautus uti velet carum caput; extrahe turba
Oppositis humeris; aurem substringe loquaci.

amplam stipem mulieri detulerunt, nemo eos observat, suo arbitratu discedunt. Qui inaniores venere, signo dato pro adulteris deprehenduntur, et quasi ad discendum venerint, non prius abeunt, quam aliquid scripserint. Adde aliud exemplum apud Lucianum in Toxari 17.

Difficilem et morosum offendes garrulus: ultro Non etiam sileas. Bentleius legit: *Difficilem et morosum offendes garrulus ultro.* „Coecus, ait, sit oportet, qui emendationem hanc non agnoscat; nam ni ita sit, videbit et advertet omnia haec secunda persona efferri. *Offendes* autem *garrulus*, hoc est, si garrulus fueris." Et hoc melius mihi videtur quam *offendet*, sed quid *ultro*? et quid *non etiam sileas?* Haud satis intelligo, quomodo hoc praesertim cum antecedenti cohaereat. Pro *ultro* in optimis MSS. est *ultra*. Hinc alii fecerunt: *offendes garrulus: ultra Non etiam sileas.* Hoc iam veteres interpretantur *ultra quam satis est:* et Commentator: „Ostendit quomodo possit importunitatem loquendi vitare, apud austerum et taciturnum ne nimis loquare, nec nimium sis taciturnus. Davus sis Comicus. Astutus et callidus, qui loqui non novit. (l. non loqui novit) ubi tacito est opus." Si *ultra* Latine dici posset pro *ultra, quam satis est*, sententia probabilis hinc nasceretur. Exemplum tale non ostenditur. Et *etiam sileas* cum *ultra* sic iunctum haud obscure indicat, requiri aliquid, *ultra quod* Ulyssi erat silendum, quod silendo superare deberet. Horkelius legebat: *ultra nos etiam sileas.* Colloquium scilicet Tiresiae cum Ulysse habetur in inferis locis, locis silentium umbrarum.

Mihi in mentem venerat: *ultra Mutum etiam sileas.* Plus quam mutus sis. Ostende tamen, quantopere senem difficilem ac morosum vereare, imitare Davum Comicum, sile, et sta capite obstipo.

Doderlinus defendit *offendet garrulus ultro:* i. e. *ultro offendet*, etiam offendet. Est quaedam garrulitas amabilis, haud iniucunda quoque seni, nisi sit difficilis ac morosus. Tali garrulus non erit iucundus, sed *ultro* eum offendet.

Aurem substringe loquaci. Interpretantur: si Dama, senex, est loquax, tu aures tuas arrectas illi accommoda: contrahe, subrige aures tuas illi. Sit ita; quamquam fateor, me rationem *auris substringendae* non satis perspicere: aurem *substringe loquaci*, ut hic

Importunus amat laudari: donec, „ohe iam!“
Ad coelum manibus sublatis dixerit, urge et
Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
Quum te servitio longo curaque levarit,
Et certum vigilans, „Quartae esto partis Ulixes,“
Audieris, „heres:“ „Ergo nunc Dama sodalis
„Nusquam est? Unde mihi tam fortem tamque fidelem?“
Sparge subinde, et, si paullum potes, illacrimare; est

positum est, vix aliud significare potest, quam *aurem substringe loquacis*, ut in centenis istiusmodi dativis incommodi, *guttur illi fregit.* Virgil. Aen. X. 323. *iaculum clamanti sistit in ore.*

Horatius imaginem senis difficilis ac morosi proponit, qui garrulum ferre non potest. Imago senis garruli huc non facit. Garruli plerumque non mali sunt, sed animi lenioris, ad quos captandos non tanta patientia opus est, quantam Tiresias Ulyssi commendat. Locus fortasse ita explicari poterat: si res tibi est cum sene difficili ac moroso, cave ne talem garrulitate offendas: mutum age, Damam tacitus admirare; grassare obsequio. Obsequium cernitur v. c. in eo, ut moneas, ne caput frigori exponat, ut eum turba extrahas, et, si garrulus, eo loquente, tacere non possit, *isti garrulo aurem substringas*, istum tacere et auscultare iubeas. Hoc faciebat adulator apud Theophrastum Char. II. καὶ λέγοντος δὲ αὐτοῦ τι, τοὺς ἄλλους σιωπᾷν κελεῦσαι, καὶ ἐπαινέσαι δὲ ἀκούοντος. Proprie ipse loquax aurem sibi substringere debebat. Eleganter *substringit* is, qui facere iubet.

Doderlinus: „*Substringere* sensu praegnanti explicandum: subigere stringendo. Coge aurem tuam vinculis et funibus, ut loquaci auscultet, quamvis potius alios loquentes audire vellet.“

Donec, „ohe iam!“ Ad coelum manibus sublatis dixerit. Meinekius malebat: *donec, ohe! iam Ad coelum* sq. Magis mihi placet, ut vulgo accipitur: donec dixerit, ohe, iam! nempe *satis est.* Horatius Satir. I. v. 12. *ohe, iam satis est.* Martial. VII. 50. *Ille leget, bibe tu: nolis licet, ille sonabit. Et cum, iam satis est, dixeris, ille leget.*

Et certum vigilans. Commentator: „Iucunde. Solent enim homines, quae vehementer optant vigilantes, per somnium videre.“ Lege: *per somnum*, ut in Disticho Catonis II. 31. *Mens humana, quod optat, Dum vigilans sperat, per somnum cernit id ipsum.* v. Arntzen. Rescript. Boxhornio p 421. Caeterum comparo Lucian. Asin. 13. ἐγὼ δὲ ὄναρ ἐκεῖνο οἰόμενος ὁρᾷν, τοῖς δακτύλοις τῶν ἐμαυτοῦ βλεφάρων ἡπτόμην, οὐ πιστεύων τοῖς ἐμαυτοῦ ὀφθαλμοῖς, οὐθ' ὅτι βλέπουσιν, οὐϑ' ὅτι ἐγρηγόρασιν. ὡς δὲ μόλις καὶ βραδέως ἐπεισθην, ὅτι μὴ καθεύδω.

Et si paullum potes illacrimare, est Gaudia prodentem vultum celare. Bentleius post longam disputationem eo venit, ut legeret: *Et sic paullum potes illacrimare, et Gaudia prudenter vultu celare.* Barthius ex veterrimo Codice volebat: *et, si paullum potes, illacrimare est Gaudia prudentum vultu celare.* Multae difficultates superantur, si, quod Horatio dignum est, scribitur: *et, si paullum haud potes illacrimare, est Gaudia prodentem vultum velare.* Si non potes paullulum illacrimare (verbum illud sine casu poni docent interpretes ad Liv. XXV. 24.) est, licet, potes

Gaudia prodentem vultum celare. Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia. Si quis
Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
Dic, ex parte tua, seu fundi sive domus sit
Emtor, gaudentem nummo te addicere. — Sed me
Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque."

vultum velare lacinia vestis, et sic lacrimas simulare, quasi more rivi ex oculis fluant; dum lacrimari te putant, tu in sinu ridebis. Ita Sabinus Epist. I. 124. *tu preme sollers Laetitiam, et tacito gaudia conde sinu.* Sic gaudia te non prodent. Lacrimae saepe volentes eunt qua ire iubentur. Iuvenal. Satir. VI. 272. *Uberibus semper lacrimis semperque paratis In statione sua, atque exspectantibus illam, Quo iubeant manare modo.* Saepe eunt invitae, et vix vi coactae. Terent. Eunuch. I. 1. 22. *una, mehercle, falsa lacrimula, Quam oculos terendo misere, vix vi expresserit.* Saepe negant ire, quod Tiresias in Ulysse veretur. Fac ergo, ait, quasi ubertim eant, et vultum vela, quod facere solent, qui vero et ingenti dolere affecti flent. Notum est illud Euripideum Iphig. Aul. 1549: ἔμπαλιν στρέψας κάρα Δάκρυα προῆγεν, ὀμμάτων πέπλον προθείς. Plinius H. N. XXXV. 10. de Timanthe, qui pinxerat Iphigeniam: *qua stante ad aras peritura, cum moestos pinxisset omnes, praecipue patruum, et tristitiae omnem imaginem consumsisset, patris ipsius vultum velavit, quem digne non poterat ostendere.* Curtius IV. 10. *Capite velato diu flevit, manantibusque adhuc lacrimis, veste ab ore reiecta, ad coelum manus tendens, inquit.* Vultus ita *velatur*, non *celatur*, quod minus recte diceretur, nisi addita *veste*. Ut Ovid. Fast. VI. 579. *vultus velamine celat.* Graeci ἐγκαλύπτεσθαι, et συγκαλύπτεσθαι, ut ἐγκαλυψάμενος ἔκλαιε, qualia interpretes attulere ad Marci Euang. XIV. 72. Pro *velare* vultum, caput, dicitur quoque *obvolvere, operire.* Quod v. c. Plinius scripsit *vultum velavit*, hoc Cicero in Oratore ad Brut. 22. expressit: *pictor obvolvendum caput Agamemnonis esse vidit.* Horat. Satir. II. III. 37. *cum vellem mittere operto Me capite in flumen.* Quod Graecus interpres II. Regum. 19. 4. ὁ βασιλεὺς ἔκρυψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ dixit, hoc recte Latinus: *operuit caput suum.*

Doderlinus: „Si paullum potes illacrimare, illacrima! namque est gaudia prodentem vultum celare lacrimando."

SATIRA VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons,
Et paullum silvae super his foret. Auctius atque

SATIRA VI.

Modus agri non ita magnus. Hoc exemplum Ruhnkenius addere potuisset iis, quae collegit ad Vell. Paterc. II. 73. *magnum modum legionum effecerat.*

Dî melius fecere. Bene est: nil amplius oro,
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
Si neque maiorem feci ratione mala rem,
Nec sum facturus vitio culpave minorem,
Si veneror stultus nihil horum: „O si angulus ille
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum!
O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico

Maiorem feci ratione mala rem. Plautus Mercat. I. 1. 56. *Rationem pessimam esse; ea, quae ipsus optima Omnes labores invenisset perferens.* Ubi comparant, quod Plinius de Metello dixit: *magnam pecuniam bono modo invenit.*

O si urnam argenti fors quae mihi monstret. Variae scripturae feruntur, fors *quae*, fors *quam*, fors *qua: quam* est *aliquam*, *quae* et *qua* centies in hac re confunduntur. In poëtis metri lex saepe ostendit sitne *fors qua* fors *aliqua*, *quaedam*, an *qua* ratione. Hic ea lex postulat *qua ratione*, vel *quae* sumendum pro *qua*, *quadam*, ut in Livio I. IV. *forte quadam an divinitus*, ut emendavit Gruterus. Aurel. Victor de Viris Illustr. II. *seu forte seu divinitus*, ubi plura huiusmodi Arntzenius collegit. Et Horatius nunc *fors quae* opponit *Herculi?* sibi urnam fors quaedam monstraret, ut alteri thesaurus monstratus erat, *divinitus*. Sed exempla, in quibus *fors quae* pro *quaedam* ponitur, rara sunt, alia suspecta, alia rectius casu ablativo accipiuntur; fortasse et antiquiora sunt, quam pro aetate Horatii, quale Terentii Heaut. Prolog. 44. *Si quae laboriosa est, ad me curritur. Si lenis est, ad alium curritur gregem.* Ubi in aliis MSS. legitur *si qua.* Sed longum est de usu isto dicere, quae dicenda erant, si rem totam diligenter excutere velis: Horatium quidem sic faciemus Latine loquentem, ut aequales poëtae omnes loquebantur: *O si urnam argenti qua mihi sors monstret.* Interiecta *urnam argenti* impedimento fuere, quominus vera scriptura servaretur. Plana enim sunt et solita: *O si qua mihi sors monstret;* ut, *si quis mihi Deus, εἴ τίς μοι θεός.* Horat. Satir. II. VII. 25. *Si quis ad ista Deus subito te agat.*

Doderlinus: „*fors qua* multum se commendat, non ut *aliqua ratione*, sed ut *alicubi.* Nam *si quae* pro *si qua* insolitum est, ac fortasse non Latinum, ab Horatio certe non usitatum. Neque *Fors* additum *aliqua* desiderare, quum hic consideretur ut *Dea*, quam Horatius adoraverit: hoc minus esse tolerabile, quam in Livio *forte quadam; urnam* autem additum aliquid postulare, quo articulus indefinitus, Latinis ignotus, perspicuitatis caussa significetur."

Ut illi, Thesauro invento qui mercenarius agrum Ipsum illum mercatus aravit. Qui dives sit amico Hercule, illi Hercules monstrat urnam argenti, non sors aliqua. Dura quoque oratio: qui mercenarius agrum, hunc mercatus aravit. Omnia, meo sensu, meliora: *ut ille, Thesauro invento quem mercenarius agrum Ipse illum mercatus aravit.* Ut ille ex mercenario dominus factus est agri, in quo Hercules ipsi thesaurum monstraverat. Tunc proximus angulus emtione meo agello accederet.

Doderlinus: „Memorabilis Brachylogia, pro: qui mercenarius agrum ali-

Hercule!“ si quod adest, gratum iuvat: hac prece te oro:
Pingue pecus domino facias et cetera praeter
Ingenium; utque soles, custos mihi maximus adsis!
Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri?
Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster
Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt, sic dîs placitum, tu carminis esto

quem araverat, dein illum ipsum agrum thesauro invento mercatus aravit.“

Hac prece te oro. Supra dixerat: nihil veneror, oro *horum*, angulum istum agri, urnam argenti: nunc dicit *quid* veneretur, *quid* oret. Cur *hac prece*, nec potius *hoc prece te oro?* Latinum est: oro te *prece, per precem.*

Et caetera praeter Ingenium. Iocus et lusus simillimus in verbis Trimalchionis apud Petronium 70. *Ita crescam patrimonio, non corpore, ut istà cocus meus de porco fecit.*

Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe recepi. Fortasse haud peius: *in montes, ut in arcem, ex urbe recepi.* Nimium videtur, *villulam* appellasse *arcem.* In *agro* et *montibus* villula simul cogitatur. Hi erant pro *arce*, ad defendendas molestias, τειχίον Socraticum, de quo v. c. Maxim. Tyrius Dissert. V. Horatius ex montibus, quasi templo Lucretiano, despiciebat alios misere in urbe palantes. Notanda quae habet Porphyrio: „Belle dixit, velut rex in villula mea velut in arce positus eram, vel ideo, quia in monte posita est.“

Quid prius illustrem satiris Musaque pedestri? Versus nunc obscurus, et orationem male interpellans. Omnia sunt faciliora, hoc ordine lecta: *Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi, Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auster Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae, Quid prius illustrem Satiris Musaque pedestri?* Quum me igitur ex urbe in agrum removi, ut nunc removi, et me nec ambitio nec auster nec auctumnus, ut Romae, perdunt, quod argumentum in Satiris prius illustrem, quam incommoda urbis? Ordiar ab initio, et explicabo, quot quantae molestiae me iam fere ab exorto sole Romae vexent. Tu, Iane, eris principium carminis. Eadem transpositio in mentem venerat Haberfeldtio.

Auctumnusque gravis Libitinae quaestus acerbae. Horatius saepe hoc anni tempus noxium valetudini accusat. Neque ignorabat Fronto, scribens, ut quidem legitur, pag. 277. *Hiemps est, et crudum mare hibernum est, adesse non potuit. Ubi hiemps praeterierit, vernae tempestates incertae et dubiae moratae sunt. Ver exactum est? Aestas est calida, et sol navigantes urit, et homo nauseat, aut v—nus sequitur: Poma culpabuntur et languor excusabitur.* Maius edidit *aut volnus sequitur.* Fronto scripsit: *et homo nauseat. Auctumnus sequitur? Poma culpabuntur, et languor excusabitur.* Horat. Carm. III. XXIII. alumni non sentiunt *Pomifero grave tempus anno.* Ubi Schol. „pomorum vario gustu languescunt corpora.“

Sic Dîs placitum. Ut nempe homines, in somno obliti laborum et curarum, itaque recreati, matutino tem-

Principium. Romae sponsorem me rapis: „Eia
Ne prior officio quisquam respondeat, urge!“
Sive aquilo radit terras, seu bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
Postmodo, quod mî obsit, clare certumque locuto
Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
„Quid vis, insane, et quas res agis?“ improbus urget
Iratis precibus; „tu pulses omne, quod obstat,
Ad Maecenatem memori si mente recurras?“
Hoc iuvat et melli est, non mentiar. At simul atras
Ventum est Esquilias, aliena negotia centum
Per caput et circa saliunt latus. „Ante secundam
Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
De re communi scribae magna atque nova te
Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.

pore opera rursus repeterent, eosdemque labores et curas experirentur. Homines non alia conditione nati sunt. Non interpreter, hoc Dîs placitum fuisse, ut *Ianus esset Deus matutini temporis*, quod voluit Commentator: „ut tu sis incipiendarum rerum auctor.“

Urget Iratis precibus. Omnia rectius ita *tardis* tribuentur: *Quid tibi vis, insane, et quam rem agis? Improbus urges Iratis precibus? Tu pulses omne, quod obstat, Ad Maecenatem memori si mente recurras?* Nos improbus, impiger, impudens urges, et, si non statim cedimus, mala imprecaris? Tunc tibi liberum esse putes omne, quod obstat, pulsare? Et Commentator legisse videtur *urges*. „*Tardis*, quos pulso et urgeo.“ Tardi ergo dicebant: tu urges? et pulses. Plautus rem lepide ante oculos ponit in Mercat. I. II. 4. *Simul autem plenissime eos, qui advorsum eunt, aspellito, Detrude, deturba in viam: haec hic disciplina pessuma est. Currenti, properanti haud quisquam dignum habet decedere. Ita tres similtu res agendae sunt, quando unam occoeperis: Et currendum, et pugnandum, et autem iurgandum est in via.* Idem in Sticho II. I. 12. *Age, ut placet, curre, ut lubet, cave quemquam floccifeceris. Cubitis depulsa de via, tranquillam concinna viam.* Ubi adiecta est annotatio Scaligeri: „*Perurgere* est perrumpere turbam, *ὠσπίζεσθαι*; pro quo Horatius II. Satir. VI. *facienda iniuria tardis.* In Epist. Epicuri non absimile *τριπυλιστός εἰμι ἀπωθεῖσθαι.*“

Doderlinus iungit *improbus agis*, i. e. sine more et modo, importunus, impudens. Poëtam iniuste dicturum *improbus urges.*

Hoc iuvat, et melli est. Plautus Trucul. IV. I. 6. *Cum hoc iam volupe 'st, tum hoc nimio magnae melliniae mihi.* Contra Lucret. I. 759. *veneno est.*

At simul atras Ventum est Esquilias. In Cod. Berol. *altas.* Apitzius praefert, quia Esquiliae non amplius erant *atrae.* Et ego praeferam. Alioquin statuendum est, hanc Satiram diu scriptam ante Esquilias in hortos mutatas, atque adeo ante Satir. I. VIII. atque ita Commentator: „Esquiliae locus erat, ubi peregrini et pauperes sepeliebantur. Postea horti Maecenatis.“ Nunquam certe interpreter *atras*, quia olim ibi steterat commune sepulcrum.

Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis.“
Dixeris: „Experiar;“ — „Si vis, potes,“ addit et instat.
Septimus octavo propior iam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere rheda
Vellet iter faciens, et cui concredere nugas
Hoc genus: „Hora quota est? Threx est Gallina Syro par?
Matutina parum cautos iam frigora mordent:“
Et quae rimosa bene deponuntur in aure.
Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
Invidiae. Noster ludos spectaverat una,

Threx est Gallina Syro par. Alii *Thrax*, et perinde esse putant. Oudend. ad Sueton. Caligul. 35. non putavit, sed veteres amasse illud gladiatorum genus vocare *Threcas*, *Thraecas*, non *Thracas*, quod magis proprium sit verae genti, non gladiatoribus.

Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam Invidiae. Noster ludos spectaverat una. Alii in *noster* cogitant Maecenatem, alii Horatium. Maecenas non recte cogitaretur. Habebat ille Horatium in *numero suorum*, Horatius, minor maiorem, non ita habebat. Augustus scribebat Maecenati: Horatium *nostrum* te cupio adducere: Horatius non scriberet Maecenati: saluta Augustum *nostrum*. Augustus dicebat Tiberio: *mi Tiberi*. Ne Tiberius quidem dixisset: *mi Auguste*. Marklandus reprehendit illud, quod legitur in Propert. II. VIII. 8. *Et Romana mei dicere castra ducis.* quasi satis familiariter Augusto, quem alibi III. III. 1. vocet *Deum*. Ergo et hic legebat: *Dei ducis*, licet Ovid. Art. I. 202. eodem modo de Augusto loquatur. Est, ni fallor, discrimen inter *Augustum meum*, *nostrum*, et *ducem meum*, *nostrum*. Nam *dux* est titulus honoris, Horat. Carm. IV. v. *Longas o utinam, dux bone, ferias Praestes Hesperiae. Dux* autem Augustus appellatur tam in pace quam in bello, ut ibi ostendi. Bene adeo *dux meus*, non *Augustus* aut *Caesar meus;* sunt enim cognomina Octavii. Neque in Propert. III. III. 1. *arma Deus Caesar dites meditatur ad Indos*, mutandum *meus Caesar*, ut volebat Heinsius. *Meus* decebat multo illustriores, quam Propertium, decebat Maecenatem, ut Propert. II. I. 25. *Bellaque resque tui memorarem Caesaris:* decebat Rutilium Gallicum, amplissimis honoribus functum, apud Stat. Silv. I. IV. 55. *vigilesque suo pro Caesare curae.* Praeterea Horatius Maecenatem hic non appellasset *nostrum*, quia nondum receptus erat in eam familiaritatem, qua diu probatus postea demum gloriari potuit. Nunc erat illius amicus, duntaxat ad hoc, ut iter faciens rheda tolleret, et nugas ei crederet. Si Maecenas iam legeret *Noster Maecenas una mecum ludos spectavit*, dixisset fortasse, quod Augustus aliquando amico coenam parcius praebenti: „nesciebam nos esse tam amicos.“ Horatius postea Maecenatem vocare potuit *dilectum*, quin Carm. IV. XI. 17. ipsum illud *meus. Iure solennis mihi sanctiorque Paene natali proprio; quod ex hac Luce Maecenas meus affluentes Ordinat annos.*

Noster igitur nunc sit Horatius. Atque ita Bentleius: iungenti tamen *subiectior in diem et horam Invidiae*

Luserat in campo: „Fortunae filius!“ omnes.
Frigidus a Rostris manat per compita rumor,
Quicumque obvius est, me consulit: „O bone, nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet,
Num quid de Dacis audisti?“ „Nil equidem.“ „Ut tu

noster: non assentior. Quare, annotatione illius praemissa, exponam. „*Noster* ad *subiectior* referendum; alioquin ambiguum foret utrum se, an, quod ineptum est, Maecenatem dicat invidiae obnoxium. Eleganter autem *noster* cum verbo tertiae personae perinde est ac *ego*. Ego, inquit, per totum hoc tempus subiectior sum invidiae: si ludos una cum Maecenate spectavero, si in Campo Martio una lusero; omnes illico, qui adstant, *Fortunae filius*, secum aiunt taciti. Plautus Rudente IV. VII. 19. *Egone ut quod ad me adlatum esse alienum sciam, Celem? minime istuc faciet noster Daemones.* At ibi Daemones ipse loquitur, ut hic ipse Horatius: ergo *noster faciet* est idem plane quod *ego faciam*. Idem Epidico I. II. 44. *Facile tu istuc, sine periclo et cura, corde libero, Fabulare: novi ego nostros: mihi dolet, cum ego vapulo.* Ubi *nostros* recte, opinor, interpretantur *nos:* nisi potius emendandum sit *nostrum*, id est, *me:* ut in simili fere periculo Antipho ait apud Terentium Phorm I. IV. *Egomet me novi et peccatum meum.*“ Haec Bentleius. Non assentior, inquam. Si enim *noster* sic cum *subiectior* coniungitur, oratio fit invidorum, dicentium: „Horatius fuit subiectior invidiae.“ Ita invidi sortem Horatii indignam dolerent, quam ipse dolere debet, et recte dolet, si legimus *Noster ludos spectaverat*. Ex quo, ait, Maecenas me interdum in rhedam tollit, mihi nugas concredit, ego magis magisque subiectior *fui* invidiae. Iam sequuntur verba invidorum: *Noster ludos spectaverat una.* In his *noster* non sic simpliciter pro *ego* ponitur, sed *ego* ex *noster* per consequentiam deducitur. Qui *noster* de se utitur, ille sermonem aliorum de se loquentium exprimit, facit se quasi unum ex iis, a quibus iudicatur. *Minime istuc faciet Daemones noster*, est mixtum ex persona loquentis et personis aliorum de loquente iudicantium. Acidalius legebat *Daemones vester.* Hoc Daemones proprie dicere debuerat. Sed eleganter alios facit de se loquentes: *celetne? minime faciet noster Daemones.* Alter locus Plauti ex Epidico huc minus pertinet. Variis modis accipitur et accipi potest: Lambinus interpretatur *familiares ac domesticos*, Douza *virgatores*. Ego: novi quid nostros homines, quid homines meae conditionis, quid servos maneat ab heris iratis. Ita servus in eadem fabula III. II. 4. *Crede modo tu mihi. Sic ago. Sic egere nostri.* Hoc est: tam callide ago, sic omnes nos servi agimus. Et sic fortasse illi voluerunt, quos laudat Bentleius. Quam parum autem locus iste huc faceret, ipse sensisse videtur, emendans *nostrum*.

Caeterum *noster* non idem ubique significat, iudicandum nempe ex mente loquentis. Si Augustus, apud Suetōn. in Vita Horatii 4. scribit Maecenati: *Horatium nostrum te cupio adducere*, est amantis; si homines mussitant: *Horatius noster una cum Maecenate ludos spectavit*, addentes *fortunae filius!* est irridentium. Par ratio in *meus*. Cicero ad Fam. I. Epist. 9. *De Lentuli tui nostrique studiis.* Lentulum vere amicum laudat. Contra Phaedrus V. VII. *Homo meus se in pulpito totum prosternit*, tibicinem perstringit.

Ut tu Semper eris derisor. Ita de-

Semper eris derisor!“ „At omnes dî exagitent me,
Si quidquam.“ „Quid? militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?“
Iurantem me scire nihil, mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique silentî.
Perditur haec inter misero lux, non sine votis:
O rus! quando ego te adspiciam, quandoque licebit,

risi dolorem dissimulant. In Luciani Timone. 46. ἀεὶ φιλοσκώμμων σύγε, respondet Gnatho., appellatus vulturum voraçissimus.

Militibus promissa Triquetra Praedia Caesar, an est Itala tellure daturus? Commentator: „militibus emeritis vel dabatur stipendium ex aerario, vel assignabantur agri, quos colerent.“ Singula *praedia* agri modum complectebantur, hic maiorem, illic minorem, pro conditione possessorum; multa autem praedia Sicula immensos fines habebant; Augustus promisit militibus, ergo promisit se viritim ea divisurum. Unde quaeso tot *praedia?* Legimus in Sueton. Caesar. 26. de liberalitate huius erga milites: *singula interdum mancipia et praedia viritim dedit.* Oudendorp. coniecturam Ursini et aliorum recte laudavit *ex praeda.* Ruhnkenius annotat: „Fidem excedit, Caesarem tot millibus hominum praedia viritim divisisse. Et unde tantam praediorum copiam habuisset?“ Quod verum est in Caesare, verum est, ni fallor, in Augusto. Horatius scripsisse videtur: *Militibus promissa Triquetra Praemia Caesar, an est Itala tellure daturus?* Promissa *praemia*, quae daturus esset, sive in Sicilia sive in Italia, sunt *agri*, aliqua agrorum portio, iugera aliquot, ex praediis metata, non tota praedia. *Praemia* significant omne genus commoda militiae emeritae, missionum, agros militibus in praemia adsignatos. Vell. Paterc. II. 74. iu eadem fere caussa corruptus est: *Quippe L. Antonius Cos. vitiorum fratris sui consors, sed virtutum, quae interdum in illo erant, expers, modo apud veteranos criminatus Caesarem, modo eos, qui iusta divisione praediorum, nominatisque colonis agros amiserant, ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat.* Ostendi locum, si quis emendare sciat. Lipsianum *iniusta*, Heinsianum *iussa* Ruhnkenio non placet. Ruhnkenianum *instituta* non verum puto.

Perditur haec inter misero lux. Lachmannus ad Lucretium pag. 121. *perditur* soloecum esse recte iudicat, et legit *porgitur*, hoc est, lux mihi longior redditur, ut Ovid. Metam. IV. 199. ubi Sol, Leuconoës amore captus *horas brumales porrigit*, quo diutius illam spectaret. Sol igitur hoc non figurate, sed vere fecit, et sua ipsius caussa, in re optabili, sicuti v. c. et Iupiter cum duas noctes copulabat, horas geminabat, ut Hercules nasci posset: qua nocte tamen Sosias in fabula Amphitruone nullam vidit *longiorem, quam cum verberatus pependerat.* Illud ingratum magis cerneretur, si Horatius scripsisset: *Haec perit interea misero lux.* Hoc est: interea hanc lucem perdo; ut Titus *diem perdebat*, si nihil cuiquam praestitisset. Dictum imitatos Imperatores in principio Constit. de patrim. rei dom. affert Casaubonus: *diem periisse procul dubio suspicemur, quem nostri numinis munificentia non illustrat.* Iuvenal. Satir. III. 123. *perierunt tempora longi Servitii.* Conf. Cort. ad Lucan. III. 706.

Nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?
O quando faba Pythagorae cognata simulque
Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?
O noctes coenaeque Deûm, quibus ipse meique
Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus? Prout cuique libido est,
Siccat inaequales calices conviva solutus
Legibus insanis, seu quis capit acria fortis

Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo. Bentleius rogat, an legendum sit *focis:* quia *satis* ignavum et versui duntaxat sustentando natum videtur. Videtur et Meinekio, qui coniicit, *fabis:* quando faba, simulque cum fabis ponentur oluscula? ut *faba* habeat vim collectivam. Ego conieci: *Uncta suis pingui ponentur oluscula lardo.* Proprium erat *suis pinguis*, sonus fere exigebat *pingui.* Adiectiva huiusmodi centies ab uno ad alterum substantivum transferuntur a poëtis, vulgarem sermonem, quantum possit, vitantibus. Horatius, quamquam scribens *sermoni propiora*, idem fecit. Vulgare est lardum *pinguis suis*, ut v. c. Plin. H. N. XXVIII. 17. *Macrae suis lardum, herbis pastae.*

Doderlinus laudat Heindorfium, iungentem *uncta satis.*

O noctes coenaeque Deum, quibus ipse meique Ante Larem proprium vescor. Considera mihi ista: *O coenae, quibus dapibus vescor et vernas pasco.* Videnturne Latine dicta? Quomodo accipiemus? O coenae, dapes quibus vescor; dura est appositio: distinguemus *coenam* et *dapes*, ut, si sic coniunguntur, non plane idem significant? deest copula, *o coenae et dapes:* an legemus per exclamationem; *o coenae Deum!* quibus dapibus vescor! Elegantius ac simplicius est: *O noctes coenaeque Deûm, o quibus ipse meique Ante Larem proprium vescor, vernasque procaces Pasco libatis dapibus!* O dapes, quibus ipse vescor, et quibus libatis, quarum reliquiis, vernas pasco! Est constructio per attractionem, qualis illa Satir. II. II. 59. *Cuius odorem olei nequeas perferre*, pro *oleum, cuius odorem. Coena* autem et *dapes* differunt; coena sic locum, tempus, convivas, *dapes* cibum significat. Horatius describit *coenam* Nasidieni, et quas dapes attulerit.

Doderlinus in *pasco libatis dapibus*, cogitat *tantummodo* libatis. Omnes reliquias vernis cedit, nihil in diem crastinum servat.

Seu quis capit acria fortis Pocula, seu modicis uvescit laetius. Conviva solutus est legibus. Bibit quisque pro lubitu, ut uvescat; nam siccis omnia dura Deus proposuit, neque in convivio hilari feruntur. Uvidi animum et frontem laetitia explicant. Hic, fortis, acria pocula capit. Utrumque adiectivum notionem celeritatis in bibendo involvit. Iam *forti* et *acria* capienti *opponitur* ille, qui *laetius* uvescit modicis, qui *laetius* capit modica. Sic *laetius* cum interpretibus accipiendum pro *libentius*, quod vereor ut hic bene Latine dicatur. *Laete*, puto, *uvescit*, qui post vinum *laetus* est, non tristis, non morosus, non querelas nec rixas movens. Sententia melior exsistet: *Seu modicis uvescit lentius.* Commentator ait *modica* et *acria* dicta esse ex antithesi: addo, *lentus* et *fortis* quoque.

Doderlinus interpretatur: „Siccat conviva calices inaequales, vel si quis

Pocula, seu modicis uvescit laetius. Ergo
Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
Nec, male necne Lepos saltet, sed quod magis ad nos
Pertinet et nescire malum est, agitamus: utrumne

acria sive modica pocula capit — utrumque bene habet. *Acria* vocat *fortia*, mera, aqua non mixta.

Et nescire malum est. Porphyrio: „*Hoc scire volumus quod nescire crimen est.*“ Fortasse sententia, quales sunt Publii Syri, et aliorum. Altera quoque pars Scholii ostendit membra disiecti poëtae: „De hoc disputamus quae ignorare non expedit.“ Si legeretur: *Non disputamus ignorare quod expedit*, haberemus sententiam Horatii duobus senariis expressam. Multi multorum poëtarum versus in antiquis Scholiis latent. Memorabile exemplum me invenisse putavi apud Donatum ad Prologum Eunuchi Terentianae vs. 12. ed. Bentl. Bentleius: „De Phasmate et Thesauro vetus Scholiastes, sive is Donatus hic sit, sive quis eo antiquior, ea nos docet, et lectissimis quidem verbis, quae et hic quoque digna sunt quae legantur.“ Omitto nunc argumentum Phasmatis: refero Thesauri, fabulae Luscii: „Adolescens, qui rem familiarem nequitia prodegerat, servum mittit ad patris monumentum, quod senex sibi vivus magnis opibus apparaverat, ut id aperiret, illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri. Sed eum agrum, in quo monumentum erat, senex quidam avarus ab adolescente emerat. Servus ad aperiendum monumentum auxilio usus senis, Thesaurum cum epistola ibidem reperit. Senex Thesaurum, tamquam a se per tumultum hostilem defossum, retinet et sibi vindicat Adolescens iudicem capit: apud quem prior senex, qui aurum retinet, causam suam sic agit: *Athenienses, bellum cum Rhodiensibus Quod fuerit, quid ego praedicem?* et cetera, quae contra naturam iurisque consuetudinem posita arguit et notat Terentius; quod ille ordo potior erat, ut adolescens prior proponeret causam, qui petitor inducitur.“ Scholiastam, addit Bentleius, quicunque sit, vetustissimum fuisse, vel ex Luscii versibus certo scias, quos inter reliqua latitantes primus, quod sciam, versus esse deprehendi. Latitant, credo, plures versus Luscii, imo omnia fere, quae hic leguntur, sunt verba, quibus poëta argumentum fabulae Thesauri in Prologo explicavit, isto prope modo, quo Plautus Prologum Amphitryoni praemisit, ubi vs. 95 dicit, *nunc vos animum advertite Dum huius argumentum eloquar comoediae:* facit ibi loquentem Mercurium, ut in Aulularia Larem familiarem: in Casina, Menaechmis, Rudente ipse Plautus, ut hic Luscius, loquitur. Non habemus totum prologum, sed partem: Luscius alia ex oratione senis et adolescentis, sententia iudicum, et exitu Comoediae adiecit: exitus fortasse hic fuit, qui esse solet, ut senex avarus habuerit filiam, ab adolescente amatam, eamque illi nuptum dederit. Versus hi esse potuerunt:

Adolescens, qui rem nequitia prodegerat,
Servum ad patrium monumentum mittit, quod senex
Sibi vivus magnis opibus apparaverat,
Ut id aperiret, illaturus scilicet
Epulas, sibi quas inferri caverat pater
Decimum post annum. Sed agrum, in quo monumentum erat,
Senex avarus ab adolescente emerat.
Servus monumentum ad aperiendum usus senis
Auxilio, reperit thesaurum cum epistola.

Divitiis homines an sint virtute beati;
Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos;

Senex thesaurum retinet, defossum quasi
A se in tumultu hostili, et vindicat sibi.
Adolescens iudicem capit; apud quem senex,
Qui retinet aurum, causam sic agit prior:
Athenienses! bellum cum Rhodiensibus
Quod fuerit, quid ego hic praedicem?

Non me latet, quanta sit similitudo inter orationem Comicam, metri praesertim iambici, et orationem concisam prosaicam. Sed haec, de qua agimus, similitudo maior est, quam ut sic a Grammatico conciperetur. Manus poëtae quoque non obscure in argumento Phasmatis apparet, quod argumentum ab eodem Donato sic refertur. „Phasma nomen est fabulae Menandri: in qua noverca, superducta adolescenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat furtim eductam, cum apud vicinum proximum haberet in latebris, hoc modo secum habebat assidue nullo conscio: parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, ut in ipso transitu sacrum locum esse simularet. Cumque transitum intenderet sertis et fronde felici, rem divinam saepe faciens evocabat ad se virginem. Quod cum animadvertisset adolescens, primo adspectu pulchrae virginis, velut numinis visu, perculsus exhorruit. Deinde paulatim re cognita, exarsit in amorem puellae, ita ut remedium tantae cupiditatis, nisi ex nuptiis, non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis et ex voto amatoris consensuque patris, nuptiarum celebratione finem accipit Fabula."

Verba vere lectissima, et auream illam moris Terentiani Latinitatem testantia. Huc refero v. c. statim illud *superducta*, formatum ex Graeco ἐπάγεσθαι, ἐπεισάγειν, ἐπιγαμεῖν, ut vetus poëta apud Stobaeum: ὁ παισὶν αὐτοῦ μητρυιὰν ἐπεισάγων, quod iam comparavit Casaub. ad I. Capitolini Marc. Antonin. Phil. 29.: *Sed ille concubinam sibi adscivit procuratoris uxoris suae filiam, ne tot liberis superduceret novercam.* Maior igitur est auctoritas, quam, quae vulgo affertur, Donati et recentium, unde usus verbi ostenditur. Aeque castigata sunt: *transitum intenderet sertis et fronde felici.* Talia noverat Virgilius, ut Aen. IV. 506. *Intenditque locum sertis et fronde coronat Funerea.* Frondi *funereae* opponitur *frons felix.* Virg. Aen. VII. 751. *Fronde super galeam et felici comtus oliva.* Et Grammatici antiqui docuerunt discrimen arborum *felicium* et *feralium.* Conf. interpretes ad Gratii Cyneg. 442. *struitur ramis felicibus ara.* Notandum quoque *primo adspectu pulchrae virginis, velut numinis visu perculsus exhorruit.* Iterum Virgil. Aen. I. 613. *Obstupuit primo adspectu Sidonia Dido, Casu deinde viri tanto.* Ubi neque cum Heinsio legendum videtur *primum*, neque explicandum quasi esset *primum.* Non refertur ad *deinde*, sed simul atque Dido Aenean adspexerat, obstupuit, deinde, audita illius oratione, obstupuit quoque casu. Est *ut vidi, ut perii.*

Quid plura? Sunt ubique verba vere lectissima, non autem Scholiastae, sed veteris poëtae, unde Scholiasta sumsit, idque propemodum ad literam. Sed quid vetat, quominus et hoc argumentum in versus redigam?

Huic fabulae Menandri Phasma nomen est.
Noverca superducta adolescenti virginem

Et quae sit natura boni summumque quid eius.
Cervius haec inter vicinus garrit aniles
Ex re fabellas. Si quis nam laudat Arellî
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: „Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
Solveret hospitiis animum. Quid multa? neque ille
Sepositi ciceris nec longae invidit avenae:
Aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia coena
Vincere tangentis male singula dente superbo.
Quum pater ipse domus palea porrectus in horna

Eductam furtim, cum in latebris proximum
Apud vicinum haberet, nullo conscio
Assidue secum habebat hoc modo: domum
Inter mariti vicinique parietem,
Qui fuerat medius, perfodit; ipso in transitu
Locum ut sacrum esse simularet, hunc transitum
Sertis felici et fronde intendit, atque ita
Divinam faciens rem ad se virginem evocat.
Adolescens animadvertit. Primo virginis
Adspectu pulchrae, uti perculsus numinis
Visu, exhorrescit; unde nomen fabulae.
Puellae in amorem exarsit; dehinc re cognita,
Nil remedi tantae cupiditatis est nisi
Ex nuptiis repertum. Ita matris commodo
Ac virginis, ex voto amantis et patris
Consensu, nuptiarum fit celebratio.
Hunc finem fabula accipit.

A tali Prologo poëta suam Comoediam ordiri potuit. Primum dicit se ex Menandri Graeca fecisse Latinam: tum argumentum Graecae enarrat; denique enarrationem ita concludit: *Hunc finem fabula accipit.* His, credo, nonnulla subiunxit, ad istum fere modum, quo Plautus praefatur Asinariae: *Nunc, quod me dixi velle vobis dicere, Dicam: Huic nomen Graece est Onagos fabulae. Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare. Asinariam volt esse, si per vos licet. Inest lepos ludusque in hac Comoedia. Ridicula res est. Date benigne operam mihi, Ut vos item alias, pariter nunc, Mars adiuvet.* Idem in Casina explicat argumentum Comoediae Diphili, quae appellabatur *Clerumenoe*, unde fecit *Casinam.* Argumento explicato, addit: *Hinc adolescentem peregre ablegavit pater. Sciens eius mater ei dat operam, absenti tamen. Is ne exspectetis hodie in hac Comoedia In urbem non redibit: Plautus noluit. Pontem interrupit, qui erat ei in itinere.*

Garrit aniles Ex re fabellas. Bene Commentator: „Commodum, non sine caussa, ad propositum pertinentes.“ Ovid. Metam. VI. 316. *Utque fit, a facto propiore priora renarrant: E quibus unus ait.* Ubi verius est, quod Burm. dicit in Argentin. Cod. legi: *e facto.* Ita Sueton. Caesar. 60. *Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat.*

Esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: „Quid te iuvat," inquit, „amice,
Praerupti nemoris patientem vivere dorso?
Vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortitá, neque ulla est
Aut magno aut parvo leti fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
Vive memor, quam sis aevi brevis!" Haec ubi dicta
Agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Moenia nocturni subrepere. Iamque tenebat
Nox medium coeli spatium, quum ponit uterque
In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula coena,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
Continuatque dapes, necnon verniliter ipsis

Carpe viam, mihi crede, comes. Hortatus erat hospitem, ut homines et urbem feris silvis praeponeret. I, mecum, ait; mihi crede. Quid crederet? Haud facile satis ex antecedentibus efficitur, *vitam urbanam esse meliorem.* Neque recte ad sequentia referas. Nam ibi oratio concluditur: quocirca, dum licet, vive beatus. *Mihi crede* significat *crede* verum esse quod dixi vel dicturus sum. Quod nonnulli supplent *crede te mihi*, meae fidei, dubito an pronomen bene omittatur. Ita, puto, Horatius dixisset: *Carpe viam, te crede mihi.* Fortasse legendum: *Carpe viam, mihi carpe comes.* Carpe viam, dux tibi ero, me duce tutus ad tantam felicitatem pervenies. *Si tute tibi bene esse potes pati, veni, vives mecum*, ut est in Plauti Persa.

Domo levis exsilit. Rusticus urbanum exceperat *paupere cavo:* mox ponit cum comite suo *vestigia in domo locuplete.* Inde redit *in silvam cavumque.* Hinc melius, puto, nunc *cavo levis exsilit.* Recte rusticus vs. 88. appellatur *pater domus*, quia ibi nec pauperis domus nec locupletis ratio habetur.

Tincta super lectos canderet vestis eburnos. Omnia fere, unde splendor quidam redit, *candent.* Et color *albus* vulgo habet aliquid splendidi. *Ferrum* in maximo ardore, *candet.* Quis non explicavit? Unus, ex multis, sufficiet Oudend. ad Appul. Metam. p. 236. Hic *canderet*, ita cum *rubro cocco* iunctum, mihi displicet. Horatius, puto, scripsit: *arderet.* Virgil. Aen. IV. 262. *Tyrioque ardebat murice laena.*

Continuatque dapes. Ex opinione interpretum: *alias post alias dapes affert.* Dubito an hic satis Latinum sit. *Continuat* dapes, qui continuo

Fungitur officiis praelambens omne, quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit laetum convivam, quum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: „Haud mihi vita

dapes consumit, *continuo epulatur*. Claudian. Praefat. Epith. Honor. et Mariae 4. *Certarent epulis continuare dies*. Ubi in aliis MSS. erat *dapes*. Quod Heinsio venustum videbatur, mihi non videtur. Tum, credo, poëta scripsisset: *dapibus continuare dapes*. Dies *continuant epulis*, idem est ac *continuant epulas* per multos dies. Dici poterat: mus urbanus, qui iam rure coenaverat, nunc iterum in urbe coenat, coenam adeo et dapes continuat. Sed nunc opera illius describitur in coena paranda, et fungitur officiis vernae. Legendum puto: *Concinnatque dapes*. Plaut. Menaechm. I. 1. 25. *Cereales coenas dat, ita mensas exstruit: Tantas struices concinnat patinarias*. Iuvenalis idem aliis verbis exprimit Satir. VII. 184. *veniet, qui fercula docte Componat, veniet, qui pulmentaria condit*.

Concinnare et *continuare* in MSS. permutantur; exemplum est in Appul. Metam. p. 497. Oudend.

Praelambens omne, quod affert. Bentleius in duobus MSS. vidit *praelibans*, idque alteri lectioni multum antefert, quia *praelambere* non est officiose et verniliter ministrantis, sed dignum colapho facientis, quia non significat *praegustare*, et nusquam alibi occurrit, nisi de fluvio alveum lambente et rodente. Respondeo: Exempla Prudentii et Avieni saltem ostendunt, esse verbum usu cognitum, eosque, si non alibi, quod vix credibile est, in Horatio saltem vidisse. *Praelambere* non est *antea lambere*, sed aliquid in summa parte, in superficie *lambere*, sicuti fluvius *praelambit arenas*, leviter lambit: praepositio eandem vim habet, quam in *praerodere* Satir. II. v. 25. *Insidiatorem praeroso fugerit hamo*: piscis non rodit escam omnem, sed particulam exstantem hamo, ita ut hamum vitet. Iam *verniliter* officiis fungitur, more vernarum et servorum fungitur, et interea facit, quod vernae et servi procaces facere solent, qui, quod in mensam afferunt, ligurriunt, lambunt, praelambunt aliquid, saepe eo officiosiores, quo praelambendi cupidiores. Mus rusticus erat simplicior et honestior. Nihil praelambebat. Urbanus, quamquam officiis eleganter fungi studet, ingenium tamen servile celare non potest. Quod exspectasses magis ab rustico, facit urbanus. Scholiastes *praelambere* non bene interpretatur *praegustare*, quia vim praepositionis non intellexit. Bentleius hac occasione usus, emendat Statii Silv. II. 1. 171. *Tu modo fusus humi lucem aversaris iniquam. Nunc torvus pariter vestes et pectora rumpis, Dilectosque premis visus et frigida lambis Oscula*. Apage, ait, illud *lambis*, foedum enim et inhonestum. Sine dubio legendum, *libas oscula*. Equidem fere non dubito, quin legendum sit: *Dilectosque premis visus et frigida labris Oscula*. Premis oculos et os mortui labris tuis, oculos et os mortui oscularis.

Doderlinus putat *verniliter* et *praelambens* ad laudem muris urbani pertinere.

Est opus hac," ait, et: „valeas; me silva cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo."

Me silva cavusque Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo. Pecus ervo, leguminis genere, saginatur. Conf. Fabric. ad Virg. Ecl. III. 100. Hinc Plautus Mostell. I. 1. 59. *Ervom daturin' estis, bubus quod feram?* Idem verbum puto restituendum in loco corrupto Casin. I. 1. 38. *Post autem ruri, nisi tu acervom ederis, Aut, quasi lumbricus, terram.* Fortasse: *Post autem, ruri nisi tu ervom nil ederis.* Turnebus legebat: *nisi ut mures de acervo ederis.* Salmas. *acer boum.*

SATIRA VII.

„Iam dudum ausculto et cupiens tibi dicere servus

SATIRA VII.

Iam dudum ausculto et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido. Hunc versum, ait Bentleius, et sequentes mire exagitant interpretes, quorum hic fere tot sententiae, quot capita. Post longam disputationem coniicit: *Iam dudum hic adsto, et cupiens tibi dicere servus Pauca reformido.* Haec porro explicat: Iam dudum ausculto tibi, sermonem superiorem tecum recitanti; si pace tua liceat, pauca habeo, quae contra reponam. Tum Davus omnia refellit, quae Horatius de se dixerat, unde apparet, hanc et antecedentem Satiram esse unam: et in multis MSS. non sunt divisae. Ego hic MSS. aliquid tribuerem, si ex Satira VI sciremus haec agi Saturnalibus. Altum ibi de festo silentium. Librarii autem Carmina quoque saepe nunc male coniunxerunt, nunc separarunt. Opinio Bentleii esset verosimilior, si librarii Satiram III et VII coniunxissent. Ex coniunctis talis sententia oriretur: Horatius se rus contulerat ipsis Saturnalibus. Damasippus cum eo colloquens, contendit, more Stoico, omnes homines insanire. Horatius tandem rogat, quo animi vitio se laborare putaret. Aedificas, inquit Damasippus, certas maiori, versus facis et furis, cultum habes censu maiorem, amas. Horatius, iam dudum iratus, Damasippum sic dimittit: *O maior tandem parcas insane minori.* Davus istum sermonem Horatii cum Damasippo audiverat. Hic cum discessisset, servus orationem illius excipit, et usus libertate Decembri libere explicat, quid sibi quoque in hero reprehendendum videatur. Horatius tandem haud minus quam antea iratus, Davum quoque dimittit, rusticius servum quam philosophum Stoïcum: *Ocius hinc te Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.*

I. Rutgersius coniecerat: H. *Iam dudum ausculto.* D. *at cupiens tibi dicere servus Pauca reformido.* H. *Davusne?* D. *Ita Davus.* „Quamvis haec, ait Bentleius, meliora sunt fortassis, quam quae vulgo afferuntur, peccant tamen et ipsa, neque inter se cohaerent. Qui enim iam *dudum auscultavit*, sine dubio interpellandi sui potestatem iam antea fecerat: et hic quinto demum post versu *narrandi* dat veniam. Mitto alia, brevitatis studio, quae merito hic reprehendi possent." Quae Bentleius omisit, minoris, credo, erant momenti, quam quae merito reprehendi posse iudicabat. Neque ego inventum Rutgersianum magni facio. Nam minime opus erat servo

Pauca reformido.“ „Davusne?“ „Ita, Davus, amicum
Mancipium domino, et frugi quod sit satis, hoc est,
Ut vitale putes.“ „Age, libertate Decembri,
Quando ita maiores voluerunt, utere; narra.“

concedere, quod mos maiorum concesserat. Quare Horatius in versu quinto non facit Davo facultatem loquendi, sed incitat, ut suo iure utatur: „age, narra si quid habes.“

Conieci: *Iam dudum ausculto, cupiens mihi dicere servum Pauca.* Ad haec Davus: *Reformido.* Herus et servi sunt in eodem conclavi. Una coenant. Altum adhuc silentium. Nemo rumpere audet. Noverant servi quam libertatem haberent, sed noverant quoque ea quam brevis esset, et, si male uterentur, quanto postea staret. Et tamen mos maiorum non erat negligendus. Ipse Horatius nolebat. Ergo ipse rumpit silentium: *Iam dudum ausculto*, exspecto, si quis vestrum pauca dicturus sit. Multa, non opus est, neque amo. Tum servus aliquis: *Reformido.* Horatius: Davusne es, qui loqueris? Ille: ita. Davus sum. *Ausculto*, ut Plaut. Trinum. I. II. 111. *Ausculto, si quid dicas*, et vs. 61. *exspecto, si quid dicas. Mihi dicere*, fere est *in me*. Sueton. Vespas. 20. *De quo* (vultu Vespasiani quasi nitentis) *quidam urbanorum non infacete: si quidem petenti, ut et in se aliquid diceret: dicam*, inquit, *si ventrem exonerare desieris.* Saepe *tibi dico* aliquanto plus significat, et est graviter increpantis ac minantis: conf. Burm. ad Phaedri IV. 19. *Tibi dico, avare, gaudium haeredis tui.* Ut Graeci σοὶ λέγω, *tibi*, me non audienti, vel non audire simulanti.

Ita, Davus, amicum Mancipium domino et frugi, quod sit satis; hoc est, Ut vitale putes. Non video, cur servus, tantopere loqui timens, et ipsum illud *reformido* tam anxie proferens, subito tot verbis uteretur, et se garrula et ambitiosa oratione tam audacter laudaret: *mancipium domino amicum* omnino sufficiebat: se *frugi esse*, et insuper, non interrogatum, addere, *quatenus* tamen frugi esset, sententiae totius exordii in hac Satira minus aptum videtur. Iam dudum ausculto, ait poëta. Novi morem festi. Servum aliquid mihi dicere oportet. Dicat, qui velit. Sed breviter. Horatius iam statim similis est stomachanti, et invito libertatem Decembrem patienti. Sed quid faceret? Maiores ita voluerant. Maluisset servos tacuisse, quasi nihil in hero reprehendendum invenirent. Iam in vs. 21. iram continere non potest: *Quorsum haec tendunt, furcifer?* Exordium est abruptum et Comicum. Fortasse scripsit: D. *Ita. Davus: amicum Mancipium domino.* H. *et frugi quoque?* D. *Sic satis: hoc est, Ut vitale putes.* Amicum te domino dicis. An frugi quoque es, ut dominus tibi possit esse amicus? sic satis frugi sum, ait Davus, non ultra quam satis est, neque ut ante diem ob nimiam probitatem moriturus sim: mediocriter tamen, ut contentus essse possis. Formula *sic satis* nota ex Terentio Heaut. III. II. 12. *Et quidem hercle forma luculenta?* respondet Chremes: *Sic satis.* Cons. Bentl. ad Heaut. IV. v. 22. *Et quoque* illustrant interpretes ad Livium Epit. 82. *Sylla copias regis proelio vicit, caesis hostium centum milibus, et castris quoque expugnatis.*

Age, libertate Decembri utere. Subirati oratio, ut Iovis apud Lucian. Deor. Concil. 1. Τίς ἀγορεύειν βούλεται; Ἐγὼ ὁ Μῶμος, ὦ Ζεῦ, εἴ μοι ἐπιτρέψειας εἰπεῖν. Iupiter: τὸ κήρυγμα ἤδη ἐφίησιν. ὥστε οὐδὲν ἐμοῦ δεήσει.

„Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget
Propositum; pars multa natat, modo recta capessens,
Interdum pravis obnoxia. Saepe notatus
Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani,
Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas,
Aedibus ex magnis subito se conderet, unde
Mundior exiret vix libertinus honeste;
Iam moechus Romae, iam mallet doctus Athenis
Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.
Scurra Volanerius, postquam illi iusta cheragra
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in phimum talos, mercede diurna
Conductum pavit: quanto constantior isdem
In vitiis, tanto levius miser ac prior ille,
Qui iam contento, iam laxo fune laborat.“
„Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant,
Furcifer?“ „Ad te, inquam.“ „Quo pacto, pessime?“ „Laudas

Qui iam contento, iam laxo fune laborat. Interpretes cum Landino: „Translatio a colligata fera.“ Cogitabam *funambulum*. Ita Epist. II. 1. 215. *Ille per extentum funem mihi posse videtur Ire.*

Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant, Furcifer? Nisi *hodie* simpliciter sit *hoc die*, oppositum tempus diei crastino aut sequentibus, aliquid significat, quod verbo uno exprimi non potest, sed pluribus ex sententia effici debet. Est autem vox irae cum ironia minantis, et morae impatiens. *Non dices hodie*, non dices prius quam vesperascit, quam dies praeteriit, non statim dices? Expectabisne, cessabis dicere, et fortasse cras dices? Plaut. Curcul. V. III. 11. *Quid mecum est tibi Aut tecum mihi? aut?* Th. *Quia ego ex te hodie faciam pilum catapultarium*, id est: ante vesperam, illico. Minus recte Taubmannus: „*hodie* comice additur, et abundat ad ornatum.“ Terent. Adelph. II. II. 7. *Adolescenti morem gestum oportuit.* Sa. *Quî potui melius, qui hodie usque os praebui?* Donatus: „*Hodie* non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum; ut Virgilius: *Nunquam omnes hodie moriemur inulti.*“ Donatus non explicat rationem, qua *hodie* notionem iracundiae assumat. Fortasse hac: quî potui melius ei morem gerere, qui vel hodie, paullo ante, sic ab eo verberatus sim, ut signa in vultu livido videre possis. In exemplo Virgiliano Aen. II. 670. *nunquam hodie* immutabile consilium indicat. Quidquid acciderit antea, quidquid postea accidere possit, *hodie*, nunc non inulti moriemur. Donatus sibi parum constat. Nam ad Terent. Adelph. IV. II. 31. *Hodie nunquam monstrabo:* dicit: „*hodie* aut abundat, ut *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*, aut, *nunquam hodie* pro nullo tempore huius diei, quia *nunquam* per se est generale.“ Quam antiquus verbi sit usus, apparet ex Plauto, et Naevio, cuius versum Heinsius ad l. l. Virgilii at-

Fortunam et mores antiquae plebis, et idem,
Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses,
Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse,
Aut quia non firmus rectum defendis, et haeres
Nequidquam coeno cupiens evellere plantam.
Romae rus optas, absentem rusticus urbem
Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
Ad coenam, laudas securum olus ac, velut usquam
Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque,
Quod nusquam tibi sit potandum. Iusserit ad se

tulit: *Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare.*

Si quis ad illa deus subito te agat, usque recuses. Scholiastae interpretantur, *valde, semper vel valde.* Altera significatio ex altera facile deducitur, et *valde* plane sententiae convenit, ut in Cicerone de Senect. 23. *Si quis Deus mihi largiatur, valde recusem.* An illud *valde* sic per *usque* exprimatur, dubito. Expectassem aliud, v. c. *Si quis ad illa Deus subito te agat, ire recuses.* Horatius dixit idem in Satir. I. 1. 17. *Hinc vos Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia, Quid statis? Nolint.* Epist. II. 11. 37. *I bone, quid stas?*

Doderlinus legit: *te agat usque, recuses.* Usque ad illa te agat, ut Satir. I. 11. 26. *inguen ad obscoenum subductis usque.*

Romae rus optas. Comparo Luciani Cynic. 17. ὑμεῖς δὲ διὰ τὴν εὐδαιμονίαν οὐδενὶ τῶν γιγνομένων ἀρέσκεσθε, καὶ πάντα μέμφεσθε, καὶ τὰ μὲν παρόντα φέρειν οὐκ ἐθέλετε, τῶν δὲ ἀπόντων ἐφίεσθε. χειμῶνος μὲν εὐχόμενοι θέρος, θέρους δὲ χειμῶνα.

Si nusquam es forte vocatus. Statim sequitur *usquam*, tum rursus *nusquam.* Talia, credo, non sunt nisi scriptoris orationem castigatam plane non curantis. Horatius contra valde curabat. Haec autem ei relegenti in oculos incurrisse credibile est; et si incuria tam fastidiosam eorundem verborum repetitionem effuderit, ipse emendaturus fuisse censendus est: *Si non es forte vocatus.* Librarii ex appositis *usquam* et *nusquam*, vel ex glossa interlineari, hic *nusquam* pro *non* scribere potuerunt.

Securum olus. Commentator: „coenam rusticam et tenuem; dicisque nihil esse securius, quam prandere domi.“ Alii: nullis turbis interpellatum, quo quis placide fruatur, quo quis in securo otio vescitur. Putabam *olus securum* esse, quo quis sine periculo suo fruatur, oppositum splendidae et dubiae coenae, unde periculum imminet valetudini.

Velut usquam Vinctus eas. Horkelium, quem offenderat quoque ter sine intervallo repetitum *nusquam, usquam, nusquam*, offendit *vinctus eas*, et fortius postulari putat, *rapiere, trahere.* Coniicit: *velut escam Vix fugias.* Si alius quam ego coniecisset: *velut usquam in-Vitus eas*, melius appellarem. Sed vidi iam ita Marcilium voluisse.

Ac velut usquam Vinctus eas, ita te felicem dicis amasque Quod nusquam tibi sit potandum. Hi iungunt te felicem dicis *et amas*, alii te felicem dicis, *et amas quod.* In *amas* cogitandum *et amas, ut ais.* Legendum potius: *ac velut usquam Vinctus eas, ita te felicem dicis, amesque Quod nusquam tibi sit potandum.* Pendet *ames* a *velut.* Felicem te dicis, velut invitus usquam eas, et vel-

Maecenas serum sub lumina prima venire
Convivam: „Nemon' oleum fert ocius? ecquis
Audit?“ cum magno blateras clamore furisque.
Milvius et scurrae, tibi non referenda precati,
Discedunt. „Etenim fateor me,“ dixerit ille,
„Duci ventre levem: nasum nidore supinor:
Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino;
Tu, quum sis quod ego, et fortassis nequior, ultro
Insectere, velut melior, verbisque decoris
Obvolvas vitium?“ Quid, si me stultior ipso
Quingentis emto drachmis deprenderis? Aufer
Me vultu terrere, manum stomachumque teneto,
Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
Te coniux aliena capit, meretricula Davum:

ut ames quod nusquam sit potandum, *ames* domicoenium; quia ames, te nusquam vocatum esse, ideo te felicem dicis.

Cum magno blateras clamore furisque. Vel propter imitationem Persii Satir. III. 7. *Ocius adsit Huc aliquis. Nemon'? turgescit vitrea bilis* praefero *furis.* Bentleius nullam furendi caussam esse putabat, nisi si vocati non obtemperavissent. Servi, credo, vocati saepe non audiunt, saepe alibi sunt. Et nihil satis festinatur homini cupido.

Doderlinus *furisque* tautologum putat cum *blateras magno clamore.*

Milvius. Bentleius ex MSS. reposuit *Mulvius.* Fortasse *Milvius* magis convenit parasito voraci. Milvius avis ex genere accipitrum. Terent. Phorm. II. II. 16. *Non rete accipitri tenditur neque miluo:* et mox: *alere nolunt hominem edacem.* Nota est *fames milvina,* de qua Gronov. Lect. Plaut. p. 208. Lucian. in Timone 53. προαρπάζων ὥσπερ ἰκτῖνος τὰ ὄψα, καὶ τὸν πλησίον παραγκωνιζόμενος. et 46. ὦ Γναθωνίδη, γυπῶν ἁπάντων βορώτατε. Est et *accipiter* ἱέραξ, unde cognomen Regis *Hierax.*

Duci ventre. Plaut. Mostell. IV. II. 8. *Cibo perduci poteris quovis.*

Insectere velut melior? Hactenus, puto, Milvius. Sequentia rursus Davo tribuenda. Legendum autem: *Verbisne decoris Obvolves vitium*? Milvius et scurrae tibi omnia mala precati, discedunt: ista non referam. Quid Milvius praeterea clam mussitaverit, non satis audivi. Fortasse dixit: tu me velut melior insectere, cum sis parasitus Maecenatis, et nequior, puto parasitus, quam ego tuus. Iam Davus sua verba loquitur: Quid ais, Horati! Verane locutus est Milvius? Nunc etiam vitium tuum, qui nidore culinae Maecenatis duceris, verbis decoris obvolves? Non poteris. Nam stultior etiam es, quam ego sum. In Commentatore levis menda est: „Verbisque decoris. de aliis bene loquendo, et alios corripiendo.“ leg. *de illis,* nempe vitiis.

Te coniux aliena capit, meretricula Davum. Facilior esset oratio. *Te coniux si aliena capit, meretricula Davum.* Stultior es servo tuo. Noli ob hoc dictum me vultu terrere: ne me verbera, dum tibi ex praeceptis ianitoris Crispini hoc demonstrabo. Fac, te

Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
Natura incendit, sub clara nuda lucerna
Quaecumque excepit turgentis verbera caudae
Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
Ditior aut formae melioris meiat eodem.
Tu, quum proiectis insignibus, anulo equestri
Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
Turpis, odoratum caput obscurante lacerna,
Non es, quod simulas, metuens induceris, atque
Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
Quid refert, uri virgis ferroque necari?
Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
Quo te demisit peccati conscia herilis,
Contractum genibus tangas caput? Estne marito
Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
In corruptorem vel iustior. Illa tamen se
Non habitu mutatve loco peccatve superne,
Quum te formidet mulier neque credat amanti,

coniuge aliena capi, Davum meretricula, uter plus peccat?

Illa tamen se Non habitu mutatve loco peccatve superne. Melius intelligam: *Illa etenim se.* Explicat caussam cur poena in corruptorem sit iustior. Mulier domi manet, non mutat vestem. Plaut. Mercat. IV. VI. 5. *Uxor viro si clam domo egressa est foras, Viro fit caussa, exigitur matrimonio. Utinam lex esset eadem, quae uxori est, viro!* De *habitu* Ruhnken. ad Sueton. Caesar. 44. referens inprimis ad *curam capitis et capillorum.* Sed *peccat superne* non intelligo. Conieci quidem: *peccatve superbe*, non *superbe*, ut moechus, qui audacter, spreto saepe periculo peccat, sed peccat timide, et saltem modestius, quae domi maneat, nec vestem mutet. Aliud tamen in verbo corrupto latere suspicor.

Cum te formidet mulier, neque credat amanti. Omnes, quantum novi, haec cum superioribus iungunt: sunt quoque, qui *cum* interpretentur *etsi.* Ego iungenda puto cum sequentibus: *Cum te formidet mulier, neque credat amanti, Ibis sub furcam.* Adulter vel *inducitur* (vs. 56.) muliere conscia atque amanti credente: vel *inducitur* muliere inscia, cum amans fortunam tentat, incertus, an audacia sua sibi succedat. Si mulier te formidet neque credat amanti, te prodet marito suo, ibis sub furcam. Sic Nicias quum codicillos Memmii ad Pompeii uxorem de stupro pertulisset, ab ea proditus est, ut narrat Sueton. de Illustr. Grammat. XIV. Eadem, credo, Memmium, si clam intrasset:, prodidisset.

Doderlinus: „Cum mulier suspicetur amantem esse dubiae fidei, proditorem, fortasse ab ipso marito subornatum, atque ipsum maritum auxilio vocet. Omnia haec tu antea nosti posse fieri, et tamen audax facinus perpetras, *prudens sub furcam is.*

Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.
Evasti; credo, metues doctusque cavebis?
Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
Possis. O toties servus! quae bellua ruptis
Quum semel effugit, reddit se prava catenis?
„Non sum moechus," ais; neque ego, hercule, fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea. Tolle periclum,
Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
Tune mihi dominus, rerum imperiis hominumque
Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
Imposita haud umquam misera formidine privet?
Adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
Vester ait, seu conservus, tibi quid sum ego? Nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? sapiens, sibi qui imperiosus,
Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores

Ibis sub furcam prudens. Iam legendum *imprudens:* imprudentia tua, quia voluntatem mulieris non prius exploraveras, quam ab ancilla inducereris.

Quaeres, quando iterum paveas. Melius: *pecces.* Ut in principio huius orationis: *Peccat uter nostrum cruce dignius.* Appuleius Apolog. p. 383. *Namque peccatum semel, ut bonus quisque postea sollicitius cavet, ita, qui ingenio malus est, confidentius integrat.* Tota Davi oratio versatur in eo, ut demonstret, tam dominum quam servum *peccare*, et illum peius. Ita vs. 96. Qui *peccas* minus. 109. an hic *peccat.*

Quae bellua ruptis, Quum semel effugit, reddit se prava catenis? Exponunt *stolide perversa, stulta*, alii iungunt quae *bellua prava*, quod esset *saeva*, ob feritatem vincta; hi dubitabant, an *prava* significare posset *stolida.* Et ego dubito. Conieceram *reddit se experta catenis.* Sed Cruquius in Cod. Divaei legisse sibi videbatur *priva.* Verbum igitur obscure scriptum erat. Fuitne *prave? Quae bellua ruptis, Quum semel effugit, reddit se, prave, catenis?* Oratio Davi fit semper vehementior. Sic, autem, quos irati reprehendimus, in medio verborum cursu alloquimur. Horat. inf. 95. *Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella.* Satir. II. VI. 29. *Quid tibi vis, insane.* Lucret. III. 1039. *Qui melior multis, quam tu, fuit, improbe, rebus.* Acerba exprobratio. Bellua, malum semel experta, idem cavet. Tu, o prave domine, stultior es, quam bellua. Tam coecum tua te pravitas facit.

Aliis servis miser. Velleius Paterc. II. 73. *Libertorum suorum libertus, servorum servus.*

Fortis, et in se ipso totus teres atque rotundus,
Externi ne quid valeat per leve morari,
In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his, ut proprium, quid noscere? Quinque talenta
Poscit te mulier; vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelida; rursus vocat: eripe turpi
Colla iugo: „Liber, liber sum," dic age! Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis, et acres
Subiectat lasso stimulos versatque negantem.
Vel quum Pausiaca torpes, insane, tabella,
Quî peccas minus atque ego, quum Fulvî Rutubaeque
Aut Placideiani contento poplite miror
Proelia, rubrica picta aut carbone, velut si
Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse
Subtilis veterum iudex et callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante; tibi ingens
Virtus atque animus coenis responsat opimis?
Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?

„Liber, liber sum," dic age. Quasi ex formula, ut *Liber esto*, et *civis Romanus sum*. Nemo me vexet et iniusta contumelia afficiat. Liber sum. Cuius tanta est insolentia, ut me non liberum ducat? quis est iste dominus, qui mihi superbe insultat?

Et acres Subiectat lasso stimulos, versatque negantem. Malim: *versatque neganti*, et stimulos versat neganti, quos lasso subiectavit. Qui lassus est, progredi cunctatur, qui negat, non vult. *subiectare* stimulos minus est, quam *versare*. Imago similis est Virgilianae de vate Aen. VI. 79, quae tentat Deum pectore excussisse: *Tanto magis ille fatigat Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo:* et vs. 100. *Ea frena furenti Concutit: et stimulos sub pectore vertit Apollo.*

Contento poplite miror Proelia. Non exprimitur status gladiatorum contento poplite pugnantium, sed Davi contento poplite mirantis. Poplites contendere, sursum erigere oportet, si quis accurate intueri velit picturam in alto positam. Tales autem picturae erant in parietibus, plerumque tabernarum. Plaut. in Menaechm. I. II. 34. *Dic mihi, num qua tu vidisti tabulam pictam in pariete, Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum?* Idem Captiv. V. IV. 1. Phaedrus IV. VI. *Quum victi mures mustelarum exercitu, Historia quorum in tabernis pingitur.* Γραπτὴν ἐν τοίχῳ μάχην, in Anthologia, et alia ibi interpretes comparant.

Atque ita iam Acro: „Quoniam gladiator dum dimicat extendit suum poplitem, aut quia, dum attentus aliquid spectat, erigit se et extendit poplitem suum."

Obsequium ventris mihi perniciosius est cur? Tergo plector enim. Quî tu impunitior. Antea legebatur: *mihi perniciosius est; cur?* Recte iam Cruquius emendavit. Praeterea emendandum puto: *Tergo plector. Enim quî tu impunitior illa, Quae parvo sumi*

Tergo plector enim. Qui tu impunitior illa,
Quae parvo sumi nequeunt, opsonia captas?
Nempe inamarescunt epulae sine fine petitae,
Illusique pedes vitiosum ferre recusant
Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
Furtiva mutat strigili; qui praedia vendit,
Nil servile, gulae parens, habet? Adde, quod idem
Non horam tecum esse potes, non otia recte

nequeunt, opsonia captas? Verum est: ego plector tergo, haec est mea poena. Tu autem non es impunitior, tu vero *ut enim, tu magis* puniris in stomacho, quam ego in tergo. *Enim*, significatione adversandi, apud Comicos, quos Horatius non semel imitatur, saepe in principio orationis ponitur, a librariis non intellectum. Plaut. Mil. Glor. II. v. 19. *P. Quid metuis? S. Enim ne nosmet perdiderimus uspiam.* Conf. Oudend. ad Appul. Metam. IV. p. 255. Ruhnkenius ad Terentii Phorm. IV. IV. 13. censet, solis Comicis, quos Appuleius imitatur, usitatum esse, hanc particulam adversativam ab initio ponere. Gronovius quidem ad Liv. XXXIV. 32. non ita censuit, qui exempla e Livio affert.

Illusique pedes vitiosum ferre recusent Corpus. Commentator: „*Illusi*: vacillantes, titubantes, tamquam decepti multo vino et cibo." Si Horatius scripsit *illusi*, cogitasse videtur Graecum ὑποσκελίζειν, quo utitur v. c. Eubulus de vino: πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθεὶς ὑποσκελίζει ῥᾷστα τοὺς πεπωκότας. Plautus Pseud. V. I. 1. ubi ebrius: *pedes, statin' an non?* et mox: *magnum hoc vitium vino est: Pedes captat primum. Luctator dolosus est.* Gronov. in Lect. Plautin. p. 278. ista egregie explicat. Nota sunt *supplantare, pedem subducere*, de luctatoribus; quod non sine dolo fit: unde et πτερνίζειν apud Graecos V. T. interpretes figurate *decipere* significat. Recte adeo Commentator: *tamquam decepti.* Tamen *illusi* veram esse scripturam non arbitror. Desidero aliquid, quale *lassati, inflati, collapsi;* ipsum verbum, Horatio dignum, fortasse alii in mentem veniet. Interea affero locum Senecae Epist. 95. *Qui* (cibus) *postquam coepit, non ad tollendam, sed ad irritandam famem quaeri, et inventae sunt mille conditurae, quibus aviditas excitaretur; quae desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, et nervorum vino madentium tremor, et miserabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, et semper, qualis in ipsa ebrietate, titubatio. Inde in totam cutem humor admissus, distentusque venter.*

Adde, quod idem Non horam tecum esse potes. Davus adhuc ita erat locutus, ut sua verba non adeo ad Horatium pertinerent omnia, Horatius certe, si quid ut proprium agnosceret, sic satis dissimulare posset. Nunc autem Davus vitia heri sui nota tam diserte carpit, ut ille amplius tacere non possit. Ira erumpit, et clamat: *Unde mihi lapidem?*

Non otia recte Ponere. Expressit Graeca, τὸ παρὸν εὖ, καλῶς τίθεσθαι, ut in Carm. III. XXIX. 32. *Quod adest memento Componere aequus. Otia, tempus, res* ille *recte ponit*, qui rationem reddere potest, cur ita iis usus sit, ut usus est: metaphora repetenda est a calculis, qui recte vel secus ponuntur, adduntur, subducuntur. Terent. Adelphis. V. IV. 1. *Nunquam ita*

Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
Frustra: nam comes atra premit sequiturque fugacem.
„Unde mihi lapidem?“ „Quorsum est opus?“ „Unde sagittas?“
„Aut insanit homo aut versus facit.“ „Ocius hinc te
Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.“

quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit, Quin res, aetas, usus, semper aliquid apportet novi. Si omnia recte posita et computata sunt, tum *ratio constat*, rationes pares sunt, caussa legitima rei gestae affertur. Conf. Lips. ad Tacit. Annal. I. 6.

Teque ipsum vitas fugitivus et erro. Pro *et erro* in aliis MSS. legitur *ut erras*. Unde emendari posset: *Teque ipsum vitans, fugitivus ut erras.* Ut servus fugitivus locum ex loco mutat, ita tu in eodem consistere, et tecum esse non potes; vitans te ipsum, et quaerens vino et somno curam fallere. Ridicule, quod in Carm. II. XVI. graviter: *Quid terras alio calentes Sole mutamus patria? quis exsul Se quoque fugit?* Lucianus de Morte Peregr. 10. φυγὴν ἑαυτοῦ καταδικάσας ἐπλανᾶτο, ἄλλην ἄλλοτε ἀμείβων.

SATIRA VIII.

„Ut Nasidieni iuvit te coena beati?
Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic
De medio potare die.“ „Sic, ut mihi numquam

SATIRA VIII.

Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic De medio potare die. Locus fortasse partim emendandus, partim aliter, quam vulgo fit, intelligendus est. Legamus v. c. *Nam mihi quaerenti convivam dictus here illuc De medio potare die.* Horatius, quaerens convivam, miserat, qui amicum invitaret. Sed, ut servus renuntiabat, amicus iam *dixerat ad Nasidienum, promiserat ad Nasidienum, promiserat illi ad coenam, dixerat potare, dixerat se potaturum illuc*, et apud Petron. 30. *foras coenat;* non mutandum in *foris*. Omnia ista sic Latine efferuntur, ut notum est. Conviva *dictus eras*, ut Iuvenal. Satir. XI. 60. *Cum sis conviva mihi promissus.* Schol. „qui te mihi convivam promisisti.“ In Iuvenale *mihi* est dativus commodi; et Lucian. Conv. 22. παρὰ τῷ μαθητῇ Παμμένει δειπνῆσαι πολυτελὲς δεῖπνον δυνάμενος, οὐκ ἐπένευσα ἱκετεύοντι, σοὶ ὁ ἀνόητος ἐμαυτὸν φυλάττων. In Horatio incommodi: quod ad me attinebat, *mihi* dictus eras alio, mihi conviva esse non poteras. Plaut. Pers. I. I. 20. *Mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non visitavi.* Dixeras *te illuc potare*, ire potatum, potaturum. Praesens tempus in hac re usitatum. Plaut. Trucul. II. IV. 8. *Hicne hodie coenas, salvos cum advenis?* Martial. II. 79. *coeno domi.* In l. l. Petronii triclinium habebat tabulam: *III et prid. Kal. Ian. G. noster foras coenat.* Illis diebus nunquam domi coenat, sed semel alio dixit.

In vita fuerit melius.“ „Da, si grave non est,
Quae prima iratum ventrem placaverit esca.“
„In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
Captus, ut aiebat coenae pater; acria circum,
Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
Pervellunt stomachum, siser, halec, faecula Coa.
His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
Sublegit quodcumque iaceret inutile, quodque
Posset coenantes offendere; ut Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes,
Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris expers.
Hic herus: „Albanum, Maecenas, sive Falernum
Te magis appositis delectat; habemus utrumque,
Divitias miseras!“ „Sed quîs coenantibus una,
Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.“
„Summus ego, et prope me Viscus Thurinus, et infra,
Si memini, Varius, cum Servilio Balatrone
Vibidius, quos Maecenas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul obsorbere placentas:
Nomentanus ad hoc, qui, si quid forte lateret,
Indice monstraret digito: nam caetera turba,
Nos, inquam, coenamus aves conchylia pisces,
Longe dissimilem noto celantia succum:

Leni fuit austro Captus. Elegantius: *leni hic fuit austro captus.* Nasidienus quasi digito monstrat. Ita Nomentanus vs. 45. *si quid forte lateret Indice monstrabat digito.*

Divitias miseras. Nasidienus, falsa modestia superbus, vina pretiosa extenuat. Dives sum utriusque vini, sed parvi facio miseras istiusmodi divitias, quas nonnulli adeo mirantur. Plautus Militem gloriosum simili superbia utentem facit, ut IV, II. 64, ubi servo, vehementer laudanti: *Heu Hercle odiosas res!* et vs. 71. *Non mihi avaritia usquam innata est. Satis est divitiarum.* Idem iam de se dixerat I. I. 68. *Nimia est miseria pulchrum esse hominem nimis.*

Pulchre fuerit. Plautus Mercat. III. III. 21. *Obsonium curamus, pulchre ut simus.* Petronius 46. *Inveniemus quod manducemus, pullum, ova. Belle erit.*

Nam caetera turba Nos, inquam, coenamus aves conchylia pisces, Longe dissimilem noto celantia succum. Non una me difficultas in his moratur. Nasidienus et Nomentanus artem coenarum soli tenebant, habentes et palatum sapientissimum, et Nomentanus fungebatur quasi munere nomenclatoris. Uterque probe sciebat quomodo quisque cibus esset compositus. Caetera

Ut vel continuo patuit, quum passeris atque
Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi.
Post hoc me docuit, melimela rubere minorem
Ad lunam delecta: quid hoc intersit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:

turba, Fundanius et omnes alii, non sciebant, *caetera turba, nos coenamus aves, conchylia, pisces.* In his *inquam* plane otiosum et plus quam supervacuum est, cum sole clarius appareat, *nos et caeteram turbam* esse omnes convivas alios, totum convivium, exceptis Nasidieno et Nomentano. Et cur opus erat interprete Nomentano? quia coenabant aves, conchylia, pisces, celantia succum noto dissimilem. At herus et Nomentanus eadem coenabant: in eo igitur omnes erant pares, neque desiderabatur explicatio, nisi cur v. c. *avis* illa celaret succum noto dissimilem, quid faceret dissimilitudinem. Tenue discrimen, neque indigens *nos inquam.* Quid autem conchylia *celantia succum dissimilem noto?* Acro: „*celantia*, intra se continentia." Et sic, credo, omnes taciti accipiunt. Rectene ita dicitur *celare?* Quomodo autem *celat*, quod gustatum statim apparet esse dissimile noto sapori? Quid *noto?* Acro: „*noto.* id est, omnibus usitato, vel *noto*, quem Nomentanus et Nasidienus noverant, aut quem ego postea cognovi." Vides Acronem ipsum non intelligere. Totus locus omnino difficilis intellectu est, fortasse sic legendus: *Nam caetera turba, Nos tamquam coenamus aves conchylia pisces, Longe dissimili notum celantia succum.* Caetera turba, nos coenamus; hic *caetera turba* fere est nominativus absolutus: nos coenamus conchylia, pisces, tamquam aves, tamquam essent aves, ita conchylia et pisces non modo figura, sed etiam sapore mutata erant in aves, ut ea pro avibus ederemus. Celabant autem notum succum succo longe dissimili, qui longe dissimilis erat succo naturali piscium et conchyliorum. Ingenium et ars cocorum tam docta et elegans discitur ex Petronio. Petronius 69. *Nam, cum positus esset, ut nos putabamus, anser altilis, circaque pisces et omnium genera avium, inquit Trimalchio: quidquid videtis hic positum, de uno corpore est factum.* Anser, pisces, aves, omnia facta erant ex uno corpore suis, ut explicatur in capite sq. 70. *Ita crescam, patrimonio non corpore, ut ista cocus meus de porco fecit. Non potest esse pretiosior homo. Volueris, de vulva faciet piscem, de lardo palumbum, de perna turturem, de coliphio gallinam.* Ita cocus Nasidieni fecerat aves ex piscibus et conchyliis, eorumque succum dissimili piscibus, plane simili avibus celaverat. Horatius scribere potuisset: *Nos coenamus aves tamquam conchylia, pisces: Nos tamquam coenamus aves conchylia pisces* dicitur ex consuetudine, qua verba traiicere amat, ut ordo quoque aliquid poëtici coloris sermonibus adderet.

Doderlino duo versus tam difficiles visi sunt, ut unum excidisse putet, quo discrimen inter utrumque cibi genus significetur, v. c. *Ingenitos ignari expulsos arte sapores*, vel *Nativos ignari expulsos arte sapores.* Deinde locum prorsus eodem modo explicat, quo ego feci, usus quoque Petronii exemplo: *Daedalus cocus de bulba faciet piscem* sq. Ignorantia turbae, addit, statim apparet, quum Nomentanus Fundanio porrexerat ilia rhombi et passeris, quem cibum hic pro longe alio habebat, quam erat.

„Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti;“
Et calices poscit maiores. Vertere pallor
Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
Potores, vel quod maledicunt liberius, vel
Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
Invertunt Allifanis vinaria tota
Vibidius Balatroque secutis omnibus: imi
Convivae lecti nihilum nocuere lagenis.
Affertur squillas inter muraena natantes,
In patina porrecta. Sub hoc herus: „Haec gravida,“ inquit,
„Capta est, deterior post partum carne futura.
His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri
Pressit cella; garo de succis piscis Iberi,
Vino quinquenni, verum citra mare nato,
Dum coquitur, cocto Chium sic convenit, ut non
Hoc magis ullum aliud, pipere albo, non sine aceto,
Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam.
Erucas virides, inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere; illutos Curtillus echinos,

Nos, nisi damnose bibimus, moriemur inulti. Si cogito quam rara sint huius adverbii exempla, quam frequens contra usus adiectivorum omissis *ut, tamquam*, fere in eam sententiam adducor, ut Horatium scripsisse putem: *Nos, nisi damnosi bibimus, moriemur inulti.* Bibimus *ut damnosi*, qui suis rebus damnum afferunt, eas prodigunt.

Quod prima Venafri Pressit cella. Oleum, quod primum, prima vice e baccis in cella exprimitur. *Primus* a proprio substantivo ad aliud transfertur. Virgil. Georg. I. 12. *Cui prima frementem Fudit equum tellus;* hoc est *equum primum.* Horat. Satir. II. III. 93. *Hos utinam inter Heroas natum tellus me prima tulisset.* Conf. Gronov. Observ. I. VII. Quid sit *primum oleum*, discimus ex Columella XII. 50. *Sint autem in cella olearia tres labrorum ordines, ut unus primae notae, id est primae pressurae, alter secundae, tertius tertiae. Nam plurimum refert non miscere iterationem, multoque minus tertiationem cum prima pressura, quoniam longe melioris saporis est, quod minore in prelis, quasi lixivium defluxerit.* Plinius H. N. XV. 1. *Prima unda preli laudatissima, ac deinde per deminutiones.* Quod igitur oleum cella Venafri *prima* pressit, est pinguissimum, optimum Venafranum. Postea vidi et Lambinum explicasse: „oleum, quod primum ex olivis Venafranis manavit verius, quam expressum est: quod nostro sermone *parentem* seu *matrem* guttam appellamus.“ Franci nempe appellant *mere-goutte*, quod e baccis sponte fluit, ante quam exprimitur vel calcatur, quod *praecurrit*, ut nostro sermone diceremus. Haud dissimili modo Plautus Amphitr. I. 1. 274. *Eam* (hirneam) *ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.* Tale merum non est corruptum aqua aliisve rebus admixtis.

Ut melius muria, quod testa marina remittat.“
Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere, trahentia pulveris atri,
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
Sensimus, erigimur: Rufus, posito capite, ut si
Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
Tolleret: „Heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
Te deus? Ut semper gaudes illudere rebus
Humanis!“ Varius mappa compescere risum
Vix poterat. Balatro, suspendens omnia naso,
„Haec est conditio vivendi,“ aiebat, „eoque
Responsura tuo nunquam est par fama labori.
Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
Ne male conditum ius apponatur, ut omnes
Praecincti recte pueri comtique ministrent?
Adde hos praeterea casus: aulaea ruant si,

Ut semper gaudes illudere rebus Humanis! Huc pertinet, quod Donatus observat ad Terent. Eunuch. IV. VII. 19. „Animadverte, quantam vim habeant ad delectandum in Comoediis severae sententiae, cum a ridiculis personis proferuntur.“ Hic sententia profertur de persona ridicula. *Ut semper gaudes*, ita in Virgil. Georg. III. 218. legendum putavi: *Dulcibus illa quidem illecebris ut saepe superbos Cornibus inter se subigit decernere amantis!* Ubi vulgo: *et saepe*, quod intelligi non potest. Emendandus in eodem verbo est Plautus Stich. V. II. 1. *Salvete Athenae, quae nutrices Graeciae. Terra herilis patria, te video libens.* Leg. *O terra herilis patria, ut te video libens!* Sic in Pers. IV. III. 131. *Salve. Ut te amplector libens!* Virgil. Aen. II. 183. *Ut te post multa tuorum Funera, post varios hominumque urbisque labores, Defessi adspicimus!* Pro *ut* usitatum et *quam*. Reddendum hoc Plauto Bacch. II. I. 1. *Herilis patria salve: quam ego biennio, Postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.* Legendum: *quam ego biennio, Postquam hinc in Ephesum abii, te conspicio lubens!*

Responsura tuo nunquam est par fama labori. Interpretantur: tuis, Nasidiene, studiis, curis et molestiis, quibus de aliis, uti iam de nobis, quos splendido convivio accepisti, meres. Est, puto, sententia generalis. Homines hac conditione nati sumus. Impende laborem rei utilissimae, quantum possis, fama nunquam tuo labori respondebit.

Adde hos praeterea casus. Equidem affirmare fere ausim, Horatium scripsisse: *Addi hos praeterea casus!* Tene torqueri omni sollicitudine districtum! Addi insuper tantae sollicitudini hos casus, ut aulaea ruant, quod modo vidimus, ut agaso patinam frangat, ne alios casus memorem! Terent. Phorm. II. II. 25. *Ten' asymbolum venire,*

Ut modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
Adversae nudare solent, celare secundae."
Nasidienus ad haec: „Tibi dî, quaecumque preceris,
Commoda dent: ita vir bonus es convivaque comis:"
Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
Stridere secreta divisos aure susurros."

unctum atque lautum e balneis Otiosum ab animo? quum ille et cura et sumtu absumitur. De infinitivo isto multi multa: vide modo Cort. ad Lucan. V. 695. et Heindorf. ad Satir. I. IX. 72. Librarii saepe in indicativum converterunt. Emendandus v. c. Virgil. Eclog. IX. 17. *Heu! cadere in quemquam tantum scelus!* ubi nunc legitur *cadit.* Mirum adeo, Angelum Maium Frontoni p. 403. post *decerni* intrusisse a suo *par fuit.* Sed totus iste locus afferri meretur, quia corrupta quaedam in eo sunt: *Hoc idem recte provisum est, si fato cuncta humana decernuntur. Hoccine fato decerni? Nullum ergo inter bonos ac malos fortunarum discrimen erit? Nulla dies, nulla fatis diiudicatio, quali viro filius eripiatur?* Hic Maius, ut dixi, non recte edidit *Hoccine fato decerni par fuit?* Tum in explicanda perversa lectione *dies*, fecit, quod potuit; *nulla dies* interpretans, nempe *adeo coeca fata sunt*, vel referens ad *rem forensem.* Simplex et verum erat: *Nulla Dîs, nulla fatis diiudicatio, quali viro filius eripiatur.* Fronto brevi ante dixerat: *Saepe etiam expostulo cum Dîs immortalibus, et fata iurgio compello.*

Tibi Dî, quaecunque preceris, Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis. Quaecunque commoda tu tibi precari possis, opto ut Dei ista tribuant; et ex animo opto, quia tam bonus vir es. Horatius scribere potuisset: *quaecunque mereris*; tam bonus vir es, ut, si tibi apprecer omnia, quaecunque mereris, commoda quam plurima a Deis accepturus sis. Si Horatius scripsisset: *Ita Dî, quaecunque preceris, Commoda dent, ut vir bonus es convivaque comis*, haberemus et usitatam formulam, et acutam ironiam lucraremur. Tam vere opto tibi omnia commoda, quam vere bonus vir es. Stolidus Nasidienus non senserat, se a Balatrone irrideri: Balatro autem falsi animi sibi conscius, verba Nasidieni sic accipere debebat, ut Nasidieno exsecratus esse videretur. Talia sunt illa apud Plautum Captiv. III. v. 87. *Tu Aristophontes, de me ut meruisti, ita vale.* Pseudol. IV. I. 33. *Ita me Dî ament, ut ego ob tuam, Simia, perfidiam te amo.* Casina II. III. 18. *Mi lepos:* respondet alter: *nempe ita, ut tu mihi es.* Phaedrus IV. I. 19. *Sic valeas, ut farina es, quae iaces.* Quod dubito an interpretes recte ceperint. Terentianum certe illud: *valeant, qui inter nos discidium velint*, eo non erat referendum. *Felis* videbatur esse *farina*, non erat. Mus abiens, dicebat, ut mos erat, *vale*, sed sic, *ut farina es:* non erat; ergo ei non optabat, ut *valeret*, sed contra, ut periret. Simillimum illud Plauti supra allatum: *de me ut meruisti, ita vale.* Male meruisti, ergo male valeas. Exempla formulae bono sensu adhibitae, sunt quoque in Plauto. v. c. Stich. IV. I. 1. *Ita me Dî bene ament, measque mihi bene servassint filias, Ut mihi volupe est, Pamphilippe, quia vos in patriam domum Redisse video.*

„Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
Redde, age, quae deinceps risisti.“ „Vibidius dum
Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula, dumque
Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo:
Nasidiene, redis, mutatae frontis, ut arte
Emendaturus fortunam: deinde sequuti
Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farre,
Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae,
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes,
Suaves res, si non causas narraret earum et
Naturas dominus; quem nos sic fugimus ulti,
Ut nihil omnino gustaremus, velut illis
Canidia afflasset peior serpentibus Afris.

Velut illis Canidia afflasset peior serpentibus Afris. Bentleius legebat: *veluti si Canidia afflasset peior serpentibus atris,* illud ex coniectura, hoc e MSS. Mihi et *Afri serpentes* elegantius dictum videtur, et Horatianum magis iudicarem: *velut illis Canidia afflasset peius serpentibus Afris.* Velut Canidia rebus illis afflasset peius aliquid, quam quod Afri serpentes omni rei vicinae afflare solent. Constructio poëtica, qualis illa II. Carm. XIV. *mero Tinguet pavimentum superbo, Pontificum potiore coenis.* Satir. II. IV. 15. *Caule suburbano qui siccis crevit in hortis Dulcior, irriguo nihil est elutius horto,* qui caulis crevit in horto irriguo, isto caule nihil est elutius.

Occupatum in componendis annotationibus alia me effugerant, quae in variis schedulis scripseram, alia errores typothetarum corrigenti in mentem venerunt. Quae editioni iam absolutae addenda putavi, haec sunt:

I. SATIRA I.

Pagina 2. *Optant missionem, et plerumque accipiunt.* Huc pertinent ista Livii XLII. 33. *Militares homines et stipendia iusta et corpora et aetate et assiduis laboribus confecta habere.* Iuvenal. Satir. XIV. 161. *Mox etiam fractis aetate ac Punica passis Proelia, vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos, Tandem pro multis vix iugera bina dabantur Vulneribus.*

P. 2. *Gravis armis.* Saepe tamen significat militem gravis armaturae, v. c. Livius XXII. 18.

P. 3. *Gravis annis.* Auctor Synonymorum Ciceron. ed. Mahn. p. 41. „*Maior natu.* Senior. Grandis natu. Gravis annis."

P. 7. *Et dicas.* Particula *et* saepe a librariis male intrusa est. Livius XLV. 19. *Adduxerant eum duae in speciem honestae res: una, gratulatio conveniens in ea victoria, quam ipse adiuvisset; altera, querimonia Gallici tumultus advertaeque gladiis regnum in dubium adductum esse. Suberat et secreta spes honorum praemiorumque ab senatu.* Omnino legendum: *suberat secreta spes honorum.* Duae caussae in speciem honestae eum adduxerant, sed vera erat spes honorum. Hanc caussam tegebat, ea suberat, in animo latebat. Spes erat sub specie. Prima verbi notio semper derivanda ab eo, quod non apparet, hinc alia sponte sequitur. Vir Latine accurate doctus I. H. Bremi ad Nepotis Alcib. I. ista minus recte distinxit. Ex ea formula emendavi Virgil. Georg. II. 47. *Sponte sua quae se tollunt in luminis oras, Infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt: Quippe solo natura subest.* Legendum: *Quippe ollis natura subest.* Illis arboribus subest natura. Vera caussa, quae non cernitur, est in ipsis arboribus.

In Livio magis etiam corrupta sunt *advertaeque gladiis.* Nomen reguli Gallici, de quo agitur, erat *Solivettius.* Hoc restituit Drakenborchius et praeterea legit *cladibus* pro *gladiis.* Dukerus animadverterat ne poëtas quidem dicturos fuisse *regnum gladiis in dubium adductum* pro *regno periculum esse a bello.* Dixit tamen Iuvenalis Satir. XIV. 162. *Punica passis Proelia, vel Pyrrhum immanem gladiosque Molossos.* Neque Livius adeo ab orationis poëticae forma abhorret.

P. 9. *Pictis tantum gaudere tabellis.* Acro: „Eleganter tales ait avaris esse divitias, ac si pictae sint tantum, quae per avaritiam tangi non possunt. Quid interest inter abstinentiam et picturam, nisi ut usu tantum fruaris?“ Fortasse scripsit: „si utraque visu tantum fruaris.“

P. 10. *Aut alius casus lecto.* Sunt, qui malint *aut alius lecto casus.* In his Cortius ad Lucan. I. 137. ubi multa exempla affert adiectivi ita separati a substantivo suo.

P. 14. *Unde enim Graecum proverbium de Romanis istis?* Proverbium Graecum erat ἢ σπάδων ἢ κηλήτης. Hoc bene Paulyus effecit ex corruptis Porphyrionis: ἡσπαδωνικὴ λήθη.

P 14. *Praeteritum temnens extremos inter euntem.* Quintil. Inst. Orat. X. 1. 86. *Quem Homero crederet maxime accedere, secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio.*

II. SATIRA II.

P. 17. *Facetus Pastillos Rufillus olet.* Mutata verborum distinctio centenis veterum locis lucem etiamnum affundere potest. Exemplo sint vel haec Livii XLII. 62. *Legati ad Consulem missi, adhibito frequenti consilio, auditi sunt. Pacem petere, vectigal, quantum Philippus pactus esset, daturum Persea Romanis pollicentes. Urbibus agris locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum primum. Haec legati.* Sigonius vult: *cessurum Perseum:* Gronovius, *cessurum et ipsum*: Perizonius, *quam primum:* ego, *urbibus agris locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum. Primum haec legati.* Sequentia confirmant coniecturam: *Perseus summam pecuniae augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum consulis tentare.* Perseus hoc per legatos agebat. Legati ergo *primum haec:* deinde pretium augebant. *Deinde* in tali re saepe omittitur. Vide Manut. ad Ciceronis Epist. Famil. II. IX.

P. 17. *Ad istam rationem* sententia dia Catonis *referri non potest.* Nec bene retulit Cannegieterus in Rescriptis Boxhornio in Dist. Catonis p. 301. ed. Arntzen.

P. 18. *Incaluit quoties saucia vena mero.* Conf. Burm. in Anthol. Latina T. II. p. 597.

P. 19. *Moechus* adiective pro *moechicus.* In Anthol. Burm. T. II. p. 597. legitur *moecha sepulcra.* Exemplum tamen fidei non certae.

P. 20. *Fama malum gravius quam res tulit.* Livius XXXIX. 9. *Huic consuetudo iuxta vicinitatem cum Aebutio fuit, minime adolescentis aut rei aut famae damnosa.*

P. 26. *Avellier.* Cort. ad Lucan. VI. 585. legendum putat *avertier:* et mox pro *posse dolores* mavult *labores,* ad Lucan. II. 317.

P. 27. *Desiliat mulier.* Cort. ad Lucan. II. 156. in fragmento vetusto Cygneo invenit *dissiliat.*

II. SATIRA III.

P. 29. *Sic impar sibi.* Ut contra aliquis dicitur *par sibi,* illustratum ab Heinsio ad Ovidii Heroid. XX. 62. Fortasse reddendum hoc Livio XXII. 15. *Fabius pariter in suos haud minus quam in hostes intentus, prius ab illis invictum animum praestat. Quamquam probe scit non in castris modo suis,*

sed etiam Romae infamem suam cunctationem esse, obstinatus tamen, eodem consiliorum tenore aestatis reliquum extraxit. Gronovius recte observat, si *pariter* sanum sit, non bene addi *haud minus quam.* Fortasse Livius dedit: *Fabius, par sibi.* Aliorum coniecturae sunt: *per iter, acriter, pari tenore,* alii *pariter* eiiciunt.

P. 30. *Gesnerus* habere *delet.* Et sic Paulyus ex MS. edidit.

P. 32. *Infacundior est paullo? minus aptus acutis Naribus horum hominum.* Calpurnius Eclog. IV. 12. *Quidquid id est, silvestre licet videatur acutis.* Ubi Titius versum nostrum laudat tamquam Ausonii. Pastori autem Calpurniano alter pastor respondet vs. 147. *Rustica credebam nemorales carmina vobis Concessisse Deos, et obesis auribus apta.* Dixit, credo: *obesis naribus,* quae sunt *acutis* oppositae.

P. 33. *Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.* Quid sit *amicos iungere,* non eget explicatione. Aliqua fortasse eget, quando *amicos iungere* significationem *ad amicos veniendi* habet, sicuti fere in linguam Francorum transiit. Reddendum fortasse Nepoti in Attico VII. *Quae amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnibus ex re sua familiari dedit. Ipsum Pompeium coniunctum non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut caeteri, qui per eum aut honores aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione domi remanserunt.* Descripsi totum locum, ut cuivis consideranti verosimile videretur, Nepotem scripsisse: *Ipse Pompeium non iunctum non offendit.* Amici ad Pompeium profecti sunt, qui multum ei debebant; Atticus amicos opibus suis sublevavit. Ipse se cum Pompeio non iunxit, non profectus est ad Pompeium, atque adeo in hac caussa se medium esse ostendit, neque amicus Pompeii neque Caesaris.

P. 35. *Si quis eum servum.* Conieci *enim.* Idem conieceram in Livio XXI. 2. *Caeterum nihilo ei pax tutior fuit. Barbarus eum quidam, ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit.* Gronovius *ei* delevit, offensus, credo, iteratis *ei eum eo.* Neque hoc ferendum. Legamus: *Barbarus enim quidam, ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit.*

P. 35. *Quanto hoc furiosius atque Maius peccatum est.* Cicero Offic. I. XXV. monet cavendum, *ne maior poena quam culpa sit.*

P. 37. *Quis paria esse fere placuit peccata, laborant Quum ventum ad verum est.* Quo referamus illud *fere?* Ad *esse.* Significaret *vulgo, plerumque esse.* Sed Stoicis placet, semper esse. *Fere paria* significaret *prope paria.* Sed Stoicis placet, esse *plane paria,* quodvis peccatum esse *tantundem et idem,* ut Horatius ait vs. 115. *Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque Qui teneros caules alieni fregerit horti, Et qui nocturnus sacra Divum legerit.* Iungamus *fere placuit?* Significaret quoque *vulgo, plerumque.* Ergo non omnibus omnino Stoicis. At cui non placet, is non est Stoicus, de quo hic agitur. Optimum erat coniungere *fere laborant.* Ut praeteream tale tam durum Hyperbaton in constructione, hoc quoque sententiae adversatur. Non enim fere laborant, sed *semper,* et laborare debent, quia *sensus mores et ipsa utilitas repugnant,* et Horatius demonstrare vult, Stoicos nunquam dicendo posse efficere, quod proponunt. Horatius scribere potuit: *Quis paria esse sibi placuit peccata,* vel, quod melius arbitrer: *Quis paria inter se esse placet peccata.*

II. SATIRA IV.

P. 40. *Di bene fecerunt inopis me quodque pusilli Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis.* Iudice Bentleio, *loquentis* est durum et coactum, citra ullam necessitatem. Sequitur ergo Lambinum, qui emendavit *loquentem.* Conieci: *Finxerunt animi, ore et parva et pauca loquentis.* Horatius loquitur de carminibus. Crispinus eum provocaverat ad certamen, uter plus scribere posset. Cedo tibi, inquit. Neque *animus* neque *os* mihi sufficiunt. *Animus* et *os* in re tali coniunguntur. Horatius vs. 43. *Ingenium cui sit cui mens divinior atque os Magna sonaturum, des nominis huius honorem.* Hunc appelles poëtam. Hic Crispino dicit sibi animum obtigisse pusillum et os perpauca loquens, idem fere, ac si dixisset, *non sum poëta*, et si versus interdum facio, facio nec sublimes nec multos. Propertius II. VIII. 15. *Surge anima ex humili, iam carmina sumite vires, Pierides, magni nunc erit oris opus.* Horat. Epist. ad Pisones 323. *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.* Claudian. VI. Consul. Honor. 492. *quanta tuis facundia pollet Ingeniis, nostrum digno sonet ore parentem.* Di me, ait, finxerunt animi non magni, et huius mihi rei conscius, parva tantum et pauca loquor. Quid sit *parvum* ipse ostendit Carm. III. XXV. 17. *Nil parvum aut humili modo, Nil mortale loquar* et IV. II. 31. *operosa parvus Carmina fingo.*

P. 40. *Detur nobis locus.* Nepos Pelopida II. *Domum Charonis devenerunt, a quo et tempus et dies erat datus.*

P. 41. *Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, utpote plures Culpari dignos.* Meinekius non sana iudicat. Horkelius coniicit: *utpote iures.* Doderlinus ex audaci brachylogia interpretatur: quod sunt, quos genus Satiricum minime iuvat, utpote plures culpans, quam qui nominatim culpantur, nempe omnes culpari dignos. Mihi facilius videtur: *Quod sunt, quos genus hoc minime iuvat, ut, puto, plures, Culpari dignos.* Sunt, qui non amant hoc genus poesios. Sed hi, puto, sunt suae sibi culpae conscii, quales ubique invenias plures. Arripe vel ex media turba quem vis. Nemo vitiis vacat.

P. 42. Ego *nepotem* sic cum patre et filio non coniunxissem. Alia est caussa in II. Satir. I. 53. *Scaevae vivacem crede nepoti Matrem.*

P. 42. *Filius ipse est* dedecus. Adde Lucan. X. 59. Cleopatra *dedecus Aegypti.*

P. 44. *Adspergere cunctos.* Aliquem *aqua spargit*, qui recreat. Exempla nonnulla sunt apud Heins. ad Ovidii Art. Amat. III. 726.

P. 47. *Melius caussas reddet tibi.* Acro: „Philosophus te docere poterit melius, quae sunt vitanda sive appetenda. Ego autem te docui, quae sunt in usu constituta."

II. SATIRA V.

P. 49. *Hoc iter ignavi divisimus.* Acro: „id est, ab urbe in Forum Appii biduo venimus, quo argutiores uno die soleant venire." Fortasse legendum *agiliores.*

P. 49. *Minus est gravis Appia tardis.* Acro: „*Gravis est minus.*" Collocatio verborum non aliunde cognita, ut putat Paulyus.

P. 50. *Fundos Aufidio Lusco praetore libenter Linquimus.* Scaliger in

Anthol. Burm. T. I. p. 407. accipiebat pro dativo *praetori*, ut *morte datus* pro *morti*.

P. 50. *Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.* Nemo adhuc probabili modo ista interpretari scivit. Neque ego scio. Quid sententia poscat, minus obscurum est, aliud scilicet ornamentum, cum praetexta et lato clavo conveniens, et cum iis coniungi solitum. Hoc quaerendum videtur in calceis, quos senatores nigris corrigiis cruri alligabant: *Praetextam et latum clavum, et nigram quoque alutam.* Horatius idem plane sic expressit in homine yano I. Satir. VI. 24. *quo tibi, Tilli, Sumere depositum clavum fierique tribuno? Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus Pellibus, et latum demisit pectore clavum, Audit continuo: „quis homo hic, aut quo patre natus?“* Memorabilis est locus apud Iuvenal. Satir. VII. 190. *Felix et sapiens et nobilis et generosus Appositam nigrae lunam subtexit alutae.* Praetor Luscus, quasi praetexta et latus clavus non sufficerent, nigras quoque in calceis corrigias, nigras praeterea corrigias habebat.

P. 52. *Bari moenia piscosi.* Acro: „Baris civitas Apuliae, quae appellabatur Barium. Ea *Adbaris* dicitur hodieque, ut dixit grammaticus Theotiscus.“ In his notandum *Adbaris*. Ut enim veteres ex nominibus locorum notis formabant nova nomina adiectis praepositionibus *ad in*, Graeci εἰς ἐν, ita faciebant recentiores populi. Alibi de consuetudine ista exposui.

II. SATIRA VI.

Pag. 54. *Quum referre negas, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus, persuades hoc tibi vere, Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum Multos saepe viros nullis maioribus ortos Et vixisse probos, amplis et honoribus auctos; Contra Laevinum, Valerî genus, unde Superbus Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis Non unquam pretio pluris licuisse, notante Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores Saepe dat indignis et famae servit ineptus.* Quot quantis difficultatibus sententia horum versuum laboret, satis ostendunt diversae interpretum opiniones. *Persuades hoc tibi vere.* Horatius dicere non poterat, nisi certa haberet testimonia, unde constaret, ante potestatem Tulli tales viros vixisse. Testimonia non exstant. Nec Maecenas dicere poterat: vere mihi persuadeo eos vixisse: poterat, *fortasse vere mihi persuadeo, verosimile est, credo* vel simile. *Contra Laevinum — pluris licuisse.* Non intelligo, unde infinitivus pendeat. Ratio, qua explicare conantur, parum probabilis est. *Laevinum licuisse non pluris*, sciebant omnes: quomodo igitur Maecenas, hoc ita accidisse, *vere sibi persuadet?* Hoc, puto, movit Wustemannum, ut iudicaret ex *persuades* assumendum esse *probe nosti.* Nihil mihi obscurum videretur, si Horatius scripsisset: *Quum referre negas, quali sit quisque parente Natus, dum ingenuus. Persuades hoc tibi vere. Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum Multos crede viros nullis maioribus ortos Et vixisse probos amplis et honoribus auctos: Contra Laevinum, Valerî genus, unde Superbus Tarquinius fugit pulsus regno, unius assis Non unquam pretio pluris licuisse, notante Iudice eo, nosti, populo, qui stultus honores Saepe dat indignis et famae servit ineptus.* Quia tam nobilis es, Maecenas, ideo me non despicis, cum dicas et contendas, nil referre, quo quis patre sit natus, modo habeat ingenuam mentem. Et sic iudicans, vere iudicas. Virtus nobilitat, non genus. Hoc ita verum est, ut ea cogitatio ani-

mis hominum innata esse videatur. Exempla, monumentis literarum tradita, non prima sunt. Crede mihi, noli dubitare, ante Tullum vixere viri probi, ignobili stirpe, tamen honoribus ornati. Contra nosti Laevinum nihil valuisse, iudice populo, et quidem eo, qui honorem saepe dat indignis.

Horatius sententiam confirmat ex antiquissima historia, ut solet. Talis argumentatio est Carm. IV. IX. 13 sq. *Vixere fortes* ante Agamemnona Multi. Non *saepe multi*, ut in nostro loco legitur. Adde I. Satir. III. 107. *Nam fuit ante Helenam cunnus teterrima belli Caussa.* Recte autem *crede* de eo, quod vero simillimum est, sed demonstrari non potest, *nosti* de eo, quod demonstrari non opus est.

P. 57. *Carnifici tradere.* Nepos Phocione IV. *Traditus est undecimviris, quibus ad supplicium publice damnati tradi solent.*

P. 57. *Carceri abditos.* Livius XXVI. 15. *In carcerem conditi.*

P. 57. *Funera magna.* Sunt et *regia, magnifica.* Vide interpretes ad Nepotis Eumen. IV.

P. 60. *Atque alios legere ad fastum.* Ex Scholio Acronis „et fieret illi potestas eligendi a fatis quos vellet parentes" coniici posset, in quibusdam MSS. fuisse: *Ac licitum hos legere a fatis.* Mihi licitum est *ab illo*, significat *per illum*, quantum ad illum attinet.

II. SATIRA VII.

P. 63. *Proscripti Regis Rupili pus atque venenum.* Nomen Rupilii a *rupe* ducitur. Talia sunt *Saxa, Petro, Petronius, Petreius*, et cognomen *Petra* apud Tacit. Ann. XI. 4. Iam prima in *rupes* producitur; quare primam in Rupilio hic corripi miror. Horatium scripsisse potius credo: *Proscripti Regis Rupili pusque venenumque Hybrida.* Antepenultima in *Rupilius* producitur, ut in *Lucilius*, et *Rutilius* apud Ovid. Fast. VI. 563. *Hanc tibi, quo properas, memorant dixisse, Rutili*, et Pont. I. III. 63. ubi vide Micyllum. An poëtae pro *Rupilius* usitaverint *Rupilus*, an *Rutilus* pro *Rutilius*, nunc non quaero.

P. 64. *Ultima mors.* Et Gronov. Livii XLV. 19. *an ultimum mori iussurum* interpretatur *denique, ad ultimum.*

P. 64. *Muneribus missis.* Interea tamen non obliviscendum, scriptores saepe ad versus Homeri respexisse, ut sua eis memoria suggerebat; quo factum est, ut vel aliam inde sententiam ducerent, vel in nominibus errarent. Ita Nepos in Datame II. narrat Pylamenem a Patroclo interfectum esse, cum Homerus, quem laudat, a Menelao interfectum dicat. Vide quae Bremi ad Nepotem annotavit.

P. 65. *Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non.* Si prima in *Rupili* non potest corripi, hic scribendum erit: *Ditem Asiam, Rupili et Persi pugna erat, ut non Compositi melius cum Bitho Bacchius.* Ex postremis satis intelligitur quam pares essent Rupilius et Persius.

P. 65. *Cum Bitho Bacchius.* In MSS. *Bitho, Bito, Bico.* Bentleius ex Grutero et Marm. Felsin. nomina *Bithus Crescens* et *Cn. Pompeius Bithus* affert. Ego apud Livium memorari video filium regis Thracum, qui appellabatur *Bitis* vel *Bithys.* Cum optimi gladiatores essent Threces, fieri potest, ut Horatius scripserit *cum Bithye Bacchius.*

P. 65. *Fertur quo rara securis.* In locis desperatis nunquam satis con-

iicitur. Quamvis severi et periti iudices nihil eorum, quae tentantur, laudare possint, non raro accidit, ut ipsi in opinionem veniant, quae suam scriptori manum restituat. Ego hic, praeter alia, quoque conieci: *sternit rapido sata cursu.* Et hoc, et alterum *fertur rapido in sata cursu* esse Latina nemo negabit. *Securis rara fertur* ad flumen, non satis Latinum videtur. Tum Horatius scripsisset potius: *feriit quo rara securis.* Ita aliquanto lenius cogitari poterat, ubi rara securis feriit arbores et virgulta.

P. 66. *Salso multoque fluenti Expressa arbusto regerit convicia.* Venit in mentem: *ambustus regerit convicia.* Praenestinus regerit convicia vehementissima Graeco fluenti salso et multo, salse et multum fluenti. Convicia ideo quoque erant vehementiora, quia Graecus expresserat Italo. Italus autem dicitur *ambustus*, quia iam videbatur condemnatus ante quam se defenderat. Accusatio Graeci erat talis, ut Italus ex iudicio non nisi *ambustus*, *semiustus*, prope *ustus*, non sine gravi noxa discessurus esse videretur. Nota sunt ista verba in re iudiciali, ut et *flagrare*, *conflagare*, *incendi*, similia. Conf. interpretes Sallust. Catil. 31. et Livium XXII. 35.

P. 66. *Operum hoc, mihi crede, tuorum est.* Livius saepe utitur formula *hoc est tui operis.* Doderlinus iam attulit XXXVI. 34. *sui operis esse credens.* Adde XXXVIII. 9. *Amynander, quod sui maxime operis erat, impigre agebat.* Ad hanc rationem Horatius scribere potuisset: *Operis, mihi crede, tui hoc est.* Difficile est, quod legitur in Livio XXXIII. 45. Hannibal querebatur: *Marcescere otio situque civitatem, et inertia operis; nec sine armorum sonitu excitari posse.* Legendum puto: *inopia operis.* Igitur Hannibal *opus* quaerebat, ut sui populares bellum haberent, idque cum Antiocho Romanis inferret. Sic apud eundem V. III tribuni plebis, *tamquam artifices improbi opus quaerunt.*

II. SATIRA VIII.

P. 67. *Faceretne Priapum.* In Anthol. Burm. T. II. p. 542. Priapus loquitur: *Hac ego, Penelope, potui tibi lege placere; Illo sed nondum tempore factus eram.* Ubi Burmannus ex MS. malebat *natus.* Dubito an recte.

P. 68. *Dabat in sepulcrum mille pedes.* Ut Terent. Adelphis III. III. 15. *Dedit in sumtus dimidium ninae.* Valer. Flaccus VII. 545. *daret aeripedes in proelia tauros.*

P. 69. *Protulit os, quin ossa legant.* Non possum tacere, quam indigna bono poëta iudicem, protulit *os*, *ossa* legant. Suine oblitus est Horatius, an ego prorsus fallor et morosior sum? Si haberemus MS. in quo legeretur: *multu vix Luna decoro Prodit, quum ossa sepulta legunt, herbasque nocentes,* dicat qui velit, an non versus essent longe pulchriores, quam: *simul ac vaga Luna decorum Protulit os, quin ossa legant.* In vulgata scriptura illud *ossa legant* hanc quoque difficultatem obiicit, quod *sepulta* deest. Ossa leguntur statim, postquam cadaver est crematum: leguntur autem a cognatis et amicis. Magae quoque statim ossa legunt cremati cadaveris Ovid. Heroid. VI. 89. de Medea: *Per tumulos errat passis discincta capillis, Certaque de tepidis colligit ossa rogis.* Propert. III. IV. 27. *Illum turgentis ranae portenta rubetae Et lecta exsectis unguibus ossa trahunt.* Ubi fortasse legendum: *Et lecta exstinctis ignibus ossa trahunt.* Tibullus I. II. 45. *Haec cantu finditque solum, manesque sepulcris Elicit, et tepido devocat ossa rogo.*

Tale quid in Esquiliis fieri non poterat. Ager olim albebat ossibus. Loco in hortos mutato ossa erant sepulta. Si Canidia et Sagana legere vellent, ex rogo legere non poterant, sed ex terra eruere debebant.

P. 70. *Tumuli*, magna sepulcra. Livius XXXVI. 8. *Tumulus est in unum ossibus, quae passim strata erant, coacervatis factus.*

II. SATIRA IX.

P. 72. *Pluris Hoc, inquam, haud mihi eris.* Ad coniecturam firmandam facit annotatio Porphyrionis ad vs. 22. *Si bene me novi.* „Eleganter ait eum his rebus sibi placere, quae ad doctrinam non attinent. Ideo ostendit imperitum satis et importunum hominem fuisse."

P. 74. *Paucorum hominum et mentis bene sanae. Est paucorum hominum* significat est *unus paucorum hominum*, unde aliae significationes facile ducuntur. Donatus ad Terent. Eunuch. III. 1. 18. *Imo sic homo est. Per paucorum hominum.* „Aut qui paucis utitur, aut qui de paucis est, aut qui paucis placet, hoc est, bonis et sapientibus, qui fere pauci sunt." Ex prima illa significatione efficiendum, quid sententia loci requirat. Maecenas est homo, quales pauci inveniuntur, mentis praesertim bene sanae. Genitivum istum multi explicaverunt, vel ad ipsum Horat. Carm. III. XIII. 13. *Fies nobilium tu quoque fontium.* Livius frequentat, v. c. XLV. 18. *Eorum hominum Attalus erat, qui, quantum spes spopondisset, cuperent.* Sed quando in eodem scriptore XXII. 50. legitur: *ad Cannas fugientem Consulem vix septuaginta secuti sunt: alterius morientis prope totus exercitus fuit*, ea non recte se habent et scribendum videtur: *alterius morientis prope totus socius exercitus fuit.* Excidit *socius* propter similitudinem litterarum in *totus*. Eleganter in ea re *socius* ponitur, ut apud poëtas socius *mortis, leti*, et *comes*. Nota erat Diphili fabula Συναποθνήσκοντες, quam Plautus fecit *commorientes*, mortis socios. Idem Livius in formula *mentis sanae* emendandus est XLV. 10. *Culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse, dixit: eos venalem linguam habentes decreta plena regiae ostentationis fecisse, et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam poeniteret. Quae omnia, si tamen populo foret, in capita noxiorum versura.* Pro *si tamen* I. F. Gronov. legit, *si is animus*, I. Gronov. et Perizon. *si ea mens.* Verum puto: *si sana mens populo foret.* Livius XXIII. 7. *D. Magius, vir, cui ad summam auctoritatem nihil praeter sanam civium mentem defuit. Mens sana,* ut σωφρονεῖν saepe in rebus civilibus ad prudentiam et concordiam refertur. Conf. interpretes ad Nepotis Agesil. V. *illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare potuisse.*

II. SATIRA X.

P. 76. Octo versus Horatio quoque abiudicat O. F. Gruppius in Minoë, p. 240. Hunc ego librum nunc primum vidi. Legere adhuc nihil potui, nisi quae ad Satiras pertinerent. Alia tantum hic illic inspexi. Ad laudem Minois me aliquid dicere omnium minime decet. Optandum tamen videtur fore, ut collegae Minois, Aeacus et Rhadamantus, paullo minus severi sint. Interea et hoc vidi Gruppium Georgica Virgiliana IV. 287. sq. iisdem versibus spuriis liberasse, quibus ego postea liberavi in Mnemosyne Leidensi Vol. III.

p. 289. usus argumentis fere iisdem. Hoc mihi, ampla Bibliotheca hic carenti, iam saepe accidit.

P. 80. *Defingit Rheni luteum caput.* Ineptus poëta uti potuit verbo *defringere*, et Horatius scripsisse *defringit Rheni* vel *Rheno luteum caput.* Dignum reprehensione et risu *luteum caput* pro *flavum caput*, et *caput defringit* pro *cornua capiti defringit*, vel potius *cornua Rheni frangit.* Notum est flumina gentium victarum *ire cornibus fractis.* Ovid. Trist. IV. II. 41. *Cornibus hic fractis viridi male tectus ab ulva Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.* Claudian. de Laud. Stilich. I. 220. *Rhenumque minacem Cornibus infractis adeo mitescere cogis.* B. Getico 602. *tanta nec clade superbum Contudimus Tanain, vel cornua fregimus Istri.* Ab hac imagine diversa est cum flumina *fracto gurgite, aquis fractis ire* dicuntur, quod Horatius in Carminibus expressit, flumen *minores volvere vortices.* Haec bene distinxit Burm. ad Petron. cap. 123, permiscuit Burm. Secundus ad Lotichium p. 78.

II. SATIRA I.

P. 89. *Ut fracta mitterentur.* Estreus legit *fragilia.* Duentzerus eiicit *fracta.* Esset autem *fracta mitti* ut Livii XXI. 8. de telo: *quum medium incensum mitteretur.* Idem XXIV. 34. *Velites etiam, quorum telum inhabile ad remittendum imperitis est.* Erat nempe spiculum adeo tenue et acutum, ὥστε κατ' ἀνάγκην εὐθέως ἀπὸ τῆς πρώτης ἐμβολῆς κάμπτεσθαι καὶ μὴ δύνασθαι τοὺς πολεμίους ἀντιβάλλειν, ut scribit Polybius. Huiusmodi tela sunt *fragilia* non *fracta.*

P. 95. *Seu fors ita iusserit, exsul.* Alii edidere: *luserit.* Fors, sic posita, minus *ludit.* Recte in communi sententia, ut *Ludit in humanis divina potentia rebus, Fortuna ludit,* similia: non recte aliquis de se dicit, nisi ex pessima in optimam conditionem translato. Iuvenal. Satir. III. 59. *Quales ex humili magna ad fastigia rerum Extollit, quoties voluit Fortuna iocari.* Claudian. in Eutrop. I. 24. *Hoc regni Fortuna tenes? quaenam ista iocandi Saevitia?* fecerat Eunuchum Consulem. In talibus ludis est ridiculum, non est ridiculnm, si quis experiatur adversam. Communi sententiae, ut dicebam, convenit *iubere, velle.* Iuvenal. Satir. VII. 197. *Si Fortuna volet, fies de rhetore Consul. Si volet haec eadem, fies de Consule rhetor.*

P. 96. *Meritum Carthagine nomen.* Non mutem in *meritus.* Quod quis meritus est, ab eo *meritum* dicitur. Emendo hic Livium XXIV. 18. *Nomina omnium ex iuniorum tabulis excerpserunt, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio iusta militiae neque morbus caussa fuisset. Et ea supra duo millia nominum in aerarios relata tribuque omnes moti. Additumque inerti censoriae notae triste senatus consultum, ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent, mitterenturque in Siciliam ad Cannensis exercitus reliquias.* Pro *inerti* in plerisque MSS. est *merci, merici, meri, tamerici, marti.* Facillima puto correctura: *additumque meritae censoriae notae.* Alii coniiciunt *tam amarae, inertiae, tam tetricae, tam atroci, tam truci.*

II. SATIRA II.

P. 99. *Austerum studio fallente laborem.* Labor pila ludentium non recte

dicitur *austerus*. Magis conveniret militiae Romanae. Et cur Horatius addidisset *pete aërem disco?* Pila simile additamentum poscit. Et quum *discus* sit quasi telum, quo aër petitur, aër *disco cedere* non recte cogitatur. In ista imagine *cedens* non pulchrum epitheton est, quia *discus* magnum pondus habet, et hostis *cedens* non *petitur* telo, sed stans adversus.

P. 99. *Foris est promus, et atrum Defendens pisces hiemat mare.* Acro: „Contemnitur illo tempore, cum post laborem appetis cibum vilem.“ Et de piscibus: „Apud te famis tempore piscis, tamquam non capiatur, exosus est. Tibi videbitur hieme commodum (l. commotum) mare denegaturum pisces.“ Atque talis interpretatio vera est. Sententia magis eluceret si legeretur: *Foris tibi promus.* Post laborem stomachus latrat cibum. Non exspectas, dum promus aliquid delicati det coco parandum, aut hic pisces ex foro petat. Promus *tibi* non est domi, mare *tibi* hiemat, quamvis promus sit domi, et pisces sint in foro. *Tibi est foris*, ut v. c. Ovid. Heroid. I. 31. *Diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant.*

P. 99. *Unde putas aut Quî partum? Non in caro nidore voluptas Summa, sed in te ipso est.* Nihil ex antecedentibus apte refertur ad *partum.* Optimum erat, *quî partum, ut* panis cum sale bene leniat stomachum. *Unde aut quî* sufficit. Verbum multo elegantius cum caussa rei istius coniungitur. *Unde putas aut Quî? Paritur non ex caro nidore voluptas Summa, sed in te ipso est.* Unde aut quomodo hoc fieri putas? Quia voluptas summa est in te ipso, non aliunde paritur.

P. 99. *Pulmentaria quaere sudando.* Acro: „quasi diceret: Totum suave est, quod post laborem sumitur.“ Est senarius iambicus, unus ex istis, quibus sententiae monostichae includebantur, tempore etiam recentiore.

P. 101. *Dati*, credo, excidit ex his Livii XXXIX. 14. *Utque ab incendiis caveretur, adiutores triumviris quinqueviri, uti eis Tiberim suae quisque regionis aedificiis praeessent.* Legendum: *Utque ab incendiis caveretur, dati adiutores* sq. Similitudo literarum *dati* et *adi* in *adiutores* errorem peperit. Sigonius *dati* supplebat post *quinqueviri*, Gronov. mutabat *uti* in *dati.*

P. 102. *Totisque ciconia nidis.* Livius saepe, v. c. XLIV. 34. *Neminem totis mox castris quietum videres.* Iuvenal. Satir. XIV. 155. *Quam si me toto laudet vicinia pago.* Si desit in hac formula *totus*, praepositio deesse non potest. In singulari *ciconia* totum genus ciconiarum cogitatur, igitur recte adiungitur *nidis.* Iuvenalis Satir. XIV. 75. *Hic est ergo cibus magni quoque vulturis et se Pascentis, propria quum iam facit arbore nidos.*

P. 102. *Acumen est in antithesi* duobus *et* septem. Ut in Livio XXXVIII. 55. *Ideo quatuor nobilissimos duces Poenorum in Hispania, quatuor exercitus fudit fugavitque, ut duobus Petilliis succumberet.* Notanda hic est κακοζηλία, qua Velleius Paterculus saepius laborat, quam Ruhnkenius nonvult agnoscere, nam latere eum non potuit. Velleius I. XI. *Quatuor filios sustulit. Mortui eius lectum sustulerunt quatuor filii.* Cuperus *quatuor filii* delebat. Ruhnkenius annotat neminem, semel monitum, ea verba requisiturum. Sed quomodo ferre potuit lusum in *sustulit* et *sustulerunt?* Recte in Epigrammate illo de Nerone, quasi ex stirpe Aeneae: *sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.* Quod pulchrum est in Epigrammate, saepe turpissimum est in historia acumen. Et si auctor Epigrammatis addidisset *humeros*, quibus Aeneas patrem sustulit, corrupisset lusum, qui nunc facetus est.

P. 103. *Cornu ipse bilibri Caulibus instillat.* Bentleius haeret inter di-

versas scripturas *Cuius odorem olei* et *cuius odorem oleum*. Utraque certe Latina est, et Horatio poëta digna. Genitivus videtur magis exquisitus. Scribere quoque potuisset: *Cuius odorem olei nequeas perferre — — cornu ipse bilibri id Caulibus instillat.* Livius XXXI. 44. *Cui odio in Philippum per metum iam diu moderata erat, id omne in auxilii praesentis spem effudit.*

P. 103. *Si te aliud pravum detorserit.* Huc pertinet annotatio Gronovii ad Livium IV. 26. „A vitio corporis ad vitium animi transtulerunt, adeo frequentato usu, ut propriam paene significationem exstinxerit. Apparet tamen origo cum translatione in illo Horatii II. Satira II. *frustra vitium vitaveris illud Si te alio pravum detorseris.*" *Pravum* nempe in corpore *detortum* quoque dicitur. Hic, puto, verbum *vitare* magis suadet, ut accipiamus *detorquere* de cursu aequoreo. Frustra vitaveris illud vitium et deflexeris a Charybdi, si aliud te pravum ad Scyllam detorserit. Melius sibi respondent substantiva *vitium* et *pravum*, quam *vitium* et *te pravum*, si pravus sis.

P. 107. *Culpa potare magistra.* Cato in Diris 159. *Istius atque utinam facti mea culpa magistra Prima foret.* Ubi Scaliger: „atque utinam primus hoc malum exemplum posteris reliquissem, ut dicerer auctor occulti amoris; ut apud Horatium, *culpa potare magistra.*"

P. 108. *Culpa potare magistra.* Conieci *Paulla.* Potuissem et *Polla.* Notum nomen ex P. Statio. Mater quoque Virgilii appellatur *Polla*, in Vita illius, quam composuit Grammaticus Phocas. Ergo et nomen mulieris haud ita nobilis.

P. 108 *Venerata Ceres ut surgeret.* Sic Deos *adorare ut* sim. Gronov. ad Livium XXXI. 8.

II. SATIRA III.

P. 110. *Comites educere tantos.* Comites *tantos*, tantos viros, scriptores tantae auctoritatis et gloriae, qui vel solo nomine te ad scribendum debebant impellere. Si Horatius voluisset libros *tantae molis*, potius scripsisset *grandes.*

P. 111. *Res mea fracta est.* Nota metaphora *naufragii*, praesertim in re familiari, ut hic. Huius metaphorae duo exempla mihi semper mira acciderunt, Nepotis in Themist. VII. et P. Melae II. II. Nepos: *Illorum urbem ut propugnaculum oppositam esse barbaris, apud quam iam bis classem regiam fecisse naufragium.* Mela: *Flumen Aegos naufragio classis Atticae insigne.* Dukerus ad Florum I. XIII. 19. Melae verba ad explicanda Nepotis iam adhibuit. In *naufragio classis* omnia sunt propria. Quis locus superat Metaphorae? Iam neque in Attica classis regia proprie naufragium fecit, neque in flumine Aegospotami classis Attica. Fortasse Nepos scripsit: *apud quam iam bis opes regias fecisse naufragium.* Ita solet Nepos appellare potestatem regis Persarum. De exemplo Melae, deceptusne fuerit corrupta scriptura in Nepote, an fortasse similia exempla exstiterint, quid dicam nescio. Nunc quidem exemplum non exstat; nec Graecos ita locutos esse puto.

P. 111. *Emovit veterem mire novus.* Conieceram quoque: *Emovit veterem ire novus.* Morbus *it*, abit, ut *ite dolores, i in malam crucem*, alia. Infinitivos, qualis *emovit ire*, poëtae amant. Horat. Carm. I. XXIII. 10. *Atqui non ego te, tigris ut aspera Gaetulusve leo frangere persequor.*

P. 112. *Barbam sapientem.* Non apparet quid Commentator voluerit. Porphyrio disertius declaravit: „Sapientem, non quasi ipsum sapientem, sed barbam sapientem."

P. 112. *Caudam trahat.* Origo proverbii, ut multorum, latet. Potestne explicari ex simplicitate rustici, qui vaccam *cauda* trahit, quam trahere oporteat *cornibus?* Nos diceremus: Qui te deridet, ipse risu dignus est. Nam et ille caudam vaccae trahit: perverse et ridicule agit, non est sapientior.

P. 114. *Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.* Barthius ad Rutilii Iter. I. 53. varias significationes adiectivi *sceleratus* attigit, hic pro *versuto, deceptore* accipit. *Sceleratus, scelestus, nebulo, nequam*, alia, saepe minus significant, quam videntur. Significatio pendet a pronuntiatione. I. Caesar v. c. aliter pronuntiavit *scelerate Casca, quid facis?* quam Damasippus *sceleratus Proteus effugiet.* Vel vultus ostendit discrimen, in Caesare iratus, in Damasippo fere renidens.

P. 115. *Heredes Staberi summam incidere sepulcro.* Horatius, puto, in re eadem, quam ex testamento repetit, usus est eodem verbo. Cur hic *incidere*, mox *insculpere*? Varietas ista habet aliquid affectati. Hic praeferrem *insculpsere.*

P. 115. *Omnis enim res, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent.* Primum mihi hic non placet *omnis res*, pro *omnia;* deinde non placet *res omnis paret* divitiis; denique non placet ipsum substantivum *res*, quia *res* in tali sententia plerumque significat *rem familiarem*, divitias ipsas, ut II. Satir. VII. 67. *dominoque furenti Committet rem omnem et vitam et cum corpore famam.* II. Satir. V. 7. *Et genus et virtus nisi cum re vilior alga est.* Fortasse Horatius scripsit: *Omnia enim, spes, Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris Divitiis parent.* Horatius extra metrum dixisset: spes, virtus, fama, decus, omnia divina et humana divitiis parent. Cicero pro Rosc. Amer. 23. *Cum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset.* v. Cort. ad Sallust. Catilin. XI. 7. *Spes* non frustra additur. Omnia, quibus iam fruitur, et quae sperat amplius, a divitiis pendent. Nemo spem adeo improbam concipit, quin divitiae explere possint.

P. 115. *Speravit magnae laudi fore.* Acro: „putavit." Nota significatio. Verbum reddendum puto Livio XXXIII. 48. *Hannibal, quum primum fallendi eos, qui in portu erant, tempus habuit, navem solvit. Caeteri sopiti quum postero die tandem ex somno pleni crapulae surrexissent, id quod serum erat, aliquot horas remis in naves collocandis et aptandis armamentis absumserunt.* Pro corrupto *id quod serum erat* Gronovius legebat: *quod quaesitum erat.* Lego: *id quod speraverat*, id quod futurum esse putaverat.

P. 116. *Quid simile?* Talia sunt Livii XXXIV. 58. XXXV. 16. XXI. 45. *Quid est, cur illi vobis comparandi sint?*

P. 119. *Hunc medicus multum celer atque fidelis Excitat.* Conieceram: *medici ingenium celere arsque fidelis.* Acro iam annotaverat: „Utrumque illi concessit, quod est medico necessarium, scientiam cum diligentia copulatam." In vulgato non memoratur *scientia*, memoratur tantum *diligentia*, quae est in *celer. Fidelis* indicat modo eum, qui officio fungi studet. v. Arntzen. ad Dist. Catonis II. 22. *Corporis auxilium medico committe fideli.* Fides scientiam necessario secum non fert. Venerat mihi quoque in mentem: *medicus multa celer arte fidelis.*

P. 120. *Accedere plures Ad numerandum.* In tali gerundio corruptus est Livius XLII. 56. *Praedam quidem praeterquam hominum, pecora autem maxime omnis generis fuere, divisit ad epulandum militibus.* Est in eo aliquid ridiculi. Gronovius sensisse videtur, legens: *praedae quod erat.* Trans-

pono: *Praedam quidem, praeterquam hominum, divisit; pecora autem, maxime omnis generis fuere, ad epulandum militibus.* Praedam, praeter captivos, divisit aliis, non militibus; pecora, quae fuere multa omnis generis, divisit militibus ad epulandum. Livius XXIV. 16. *Praeda omnis, praeterquam hominum captorum, militi concessa est, et pecus exceptum est.*

P. 121. *Ni cibus atque Ingens accedit stomacho fultura ruenti.* Appositio est ornamentum orationis poëticae, ea praesertim, quae copula caret. Nam et appositio fit per copulam, de qua Cort. ad Lucan. I. 528. Quare hic potius legam: *ni cibus atque is Praesens accedit stomacho fultura ruenti.* Nisi cibus et quidem sine mora accedit fultura stomacho.

P. 121. *Negabit, Quod latus aut renes morbo tentantur acuto.* Hauptius putabat versum huc esse translatum ex I. Epist. VI. 28. Meinekius eiecit. Equidem aegre careo. Caussam cur Craterus negarit, addi oportere iudico. Caussa est in versu. Sed, quod in Epistola recte se habet *latus aut renes*, non recte se habet in Satira. Craterus, optimus medicus, dubitare non potest, utrum aegrotet latere an renibus. Craterus autem loquens inducitur. Damasippus poterat dicere laborat *latere aut renibus*, Craterus debebat dicere laborat et *latere et renibus*. Legendum puto: *Quod latus et renes morbo tentantur acuto.*

P. 121. *Quid enim differt, barathrone Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?* Haec tam apte pendent a superioribus *„quid avarus?“ „Stultus et insanus.“* ut culpa librariorum inde avulsa credam. Ubi nunc leguntur, vix explicari possunt. Sed alia quoque magnam difficultatem habent. Fateor, me, lectis virorum eruditissimorum interpretationibus, nondum intelligere ista: *Non est periurus neque sordidus: immolet aequis Hic porcum Laribus. Verum ambitiosus et audax; Naviget Anticyram.* Versibus transpositis, duobus cum dimidio eiectis, omnia in luce tam clara apparent, ut nemo amplius offendatur. Horatio digna sunt: *„Quisnam igitur sanus?“ „Qui non stultus.“ „Quid avarus?“ „Stultus et insanus. Quid enim differt, barathrone Dones, quidquid habes, an nunquam utare paratis? Naviget Anticyram.“ „Quid, si quis non sit avarus, Continuo sanus?“ „Minime.“ „Cur Stoice?“ „Dicam. Non est cardiacus, Craterum dixisse putato, Hic aeger. Recte est igitur, surgetque? Negabit, Quod latus et renes morbo tentantur acuto.* Avarus est stultus et insanus. Non enim differt ab eo, qui sua omnia in barathrum abiicit. Avarus debet navigare Anticyram, ut sanetur, ibi potet, quidquid hellebori ubique nascatur. Quae eieci, non intelligo, nec quod ad connexionem cum tota disputatione, nec quod ad sententiam ipsorum verborum attinet.

Gruppius in Minoë p. 240, seq. genuinos versus tantum agnoscit hos: „Tu cessas? agedum sume hoc ptisanarium oryzae.“ „Quanti emtae?“ „Parvo.“ „Quanti ergo?“ „Octussibus.“ „Eheu. Quid refert, morbo an furtis pereamve rapinis?“ „Quisnam igitur sanus?“ „Qui non stultus.“ „Quid avarus?“ „Stultus et insanus: quid enim differt barathrone Dones quidquid habes an nunquam utare paratis?“

P. 122. *Natura coërcet. Coërcere* est ab *arcere, ἀρκεῖν*. Natura iubet satis esse, contentum esse, *ἀρκεῖν*, eo, quod ipsa finit. Nos in patria lingua appellamus hominem contentum, qui putat se rem satis ultra id, quod optabat, duxisse.

P. 122. *Agrippa.* Acro: „Ideo vis patrimonium tuum consumere, ut

plausus habeas, quales Agrippa habuit, cum vis a stultitia vulpes, ille vir a nobilitate ut leo." Legendum: „cum sis ab astutia vulpes, ut ille vir a nobilitate leo."

P. 124. *„Rectum animi servas?" „Quorsum?"* Longum est enarrare, quam variis modis interpretes cum vetusti tum recentiores *quorsum* explanare conentur. Satis habebo afferre scholia Acronis et Porphyrionis. Acro: *„Quorsum insanus.* quia multa genera insaniae sunt, de quibus fuit insanus Aiax? In quo insanus? ob quam caussam? vel, in quam partem?" Acro fortasse vidit *quorum* pro *quorsum.* Ad *quorum* certe pertinet pars prior scholii. Porphyrio: *„Quorum.* inter quos, in quibus insanus est, utrum inter luxuriosos, an inter ambitiosos?" Alter in *quorum* cogitabat *negotia*, alter *homines.* Omitto diversas recentiorum opiniones. Dico tantum suspectam mihi esse locutionem, *rectum animi servare*, pro *sana mente esse*, cum vulgo significet *virtutem colere, facere quod bonum et iustum est.* Sola ponuntur sibi contraria *rectum* et *pravum. Rectum animi* tam, credo, inusitatum est, quam *pravum animi* esset. Non me fugit, *peccare* et *insanire* in hac disputatione eodem fere redire, Horatium tamen scripsisse puto: *Rectum animi servas cursum?* Exempla quaedam ostendent, quam pulchre hoc dictum sit. Horat. II. Satir. V. 78. *Tamque pudica, Quam nequiere proci recto depellere cursu.* Horatius h. l. mox loquitur: *Stas animo*, ut Ennius apud Ciceron. de Senect. 6. *Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant antehac, dementes sese flexere viai?* Mentes, quae olim rectum cursum servabant, quo se iam detorsere? Mentes *rectae stant*, ut gubernator ad clavum, clamans Neptuno: *nunquam hanc navem, nisi rectam. Cursum servare* non est cur exemplis confirmem.

P. 124. *Insanus quid enim Aiax Fecit, quum stravit ferro pecus?* Melius fortasse *insani quid enim Aiax Fecit.* Quid insani erat in facto Aiacis? Interfecit mille oves. Parum mali in re ista, ut propterea insaniisse dicatur. Tu insaniebas, cum vim uxori et natae inferebas. Ille non insaniebat, qui abstinuerit.

P. 126. *Hunc circumsonuit gladiis Bellona cruentis.* Rectum quoque esset: *facibus Bellona cruentis.* Ovid. Metam. IV. 480. Tisiphone *madefactam sanguine sumit Importuna facem.* Petronius p. 593. de Discordia: *Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.* Apud Statium Theb. IV. 5. ipsa Bellona *manu rutilam ostendit facem.*

P. 126. *Id crede tuum.* Livius XXII. 32. *Gratum sibi patres Romanos populumque facturum, si omnes res Neapolitanorum suas duxissent.* Plura interpretes ad Euang. Lucae XVI. 31.

P. 127. *Segnis ego, indignus, qui tantum possideam: aufer! Sume tibi decies! tibi tantundem.* Mallem: *aufer Inde tibi decies!* Aufer *inde*, ex tanto, quod mihi nimium est.

P. 130. *Casus medicusve levarit Aegrum ex praecipiti, mater delira necabit In gelida fixum ripa, febrimque reducet.* Difficile dictu, quomodo quis *ex praecipiti levetur*: qui in loco praecipiti stat et inibi est, ut praeceps eat, *sistitur*, non adeo *levatur.* Tum *necabit et febrim reducet*, hysterologia mihi hic non ferenda videtur. Versus certe longe elegantiores prodirent: *Casus medicusve levarit, In gelida fixum ripa delira necabit.* In *levarit* facile ex antecedenti cogitatur *aegrum*, in *delira* cogitatur *mater.* Caetera sunt, puto, glossatoris poëtae. Testor uniuscuiusque sensum.

Vel in oratione prosa melius esset: Mater pueri aegrotantis ait: Si quartana puerum reliquerit, stabit in Tiberi. Casus vel medicus levarit, delira fixum in ripa gelida necabit.

P. 130. *Dixerit insanum quae in me.* Hieronymus adv. Pelag. *Quum dixeris, quae volueris, audies quae nequaquam velis.*

P. 131. *Soli hoc Iano datum, qui sua terga videbat.* Ob eandem caussam Gronovius non ferebat ista, quae leguntur in Livio XLII. 61. *Spolia caesorum hostium humeris gerentes ante ora sua audivere.* Annotavit vir magnus: „Bifrontes utique fuere hoc genus hominum, qui, quae humeris gerebant, ante ora sua habuere." Legit *facinora sua audivere*, vel *decora.* Coniicio: *suas laudes audivere.* In os laudabantur. Emendandus hic est auctor Synon. Ciceron. ed. Mahnii p. 46. *Virtutes. Laudes. Res gestae. Fortia.* l. *facinora.* Mahnius volebat *fortia facta.*

P. 132. *Maiorem corpore et armis.* Adde exemplis hoc Livii XXXVI. 29. *Aliquamdiu dubium proelium fuit, ut eodem ex parte utraque genere et armis paribus.*

II. SATIRA IV.

P. 138. *Quatenus ima petit volvens aliena vitellus.* Porphyrio: „*Aliena.* invidia." Lege: *vinacea.* Vocem illustratam vide in Lexico Rustico Gesneri. Idem Porphyrio annotavit ad huius Satirae vs. 14. „*marem cohibent callosa vitellum:* „Ovi pars media. Et nota quod, cum hic masculino genere dicat, alibi feminino sic: Quatenus ima petit volvens aliena vitellus." Heindorfius putat Porphyrionem *aliena* iunxisse cum *vitellus*, tamquam essent substantivum et adiectivum. Porphyrio, ni fallor, aliud voluit, hoc nempe: quando *vitellus* dicitur de ovo *columbae*, quasi in genere feminino dicitur, de ovo marem continente, quasi in masculino genere. Eodem fere modo, quo *vitellus columbae*, dicuntur *pulli ranae*, II. Satir. III. 315. ubi Acro: „Notatur hoc, quod dicat pullos, filios ranae."

P. 140. *Oblitum, quanto curam sumtumque minorem Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis, Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis.* Ordo verborum mutatus sententiam efficiet faciliorem: *Oblitum tanto reprehendi iustius, illis Haec habeant quanto curam sumtumque minorem Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis.* Iungenda puto *minorem illis*, non *iustius illis.*

III. SATIRA V.

P. 143. „*Quinte,*" *puta, aut „Publi,*" *gaudent praenomine molles Auriculae.* Non dicitur *puta* pro *mihi crede*, dicitur pro *exempli caussa*, iudice Heindorfio. Vel sic tamen est ellipsis imperativi *dic, loquere.* Durum, *dic, loquere puta.* Pulchrius arbitror: „*Quinte, Tite, aut Publi.* Quodcunque sit praenomen senis, semper cum praenomine alloquere. Tria praenomina necessitatem talis affabilitatis magis urgent.

P. 143. *Infantes statuas. Mutae* dici poterant quasi *muta agna*, quae tam indignam sortem non merentur, nec verbis possunt deplorare.

P. 146. *Sic tibi Penelope frugi est.* Auctor Epigr. in Anthol. Burm. T. II. p. 541. Penelope — *Quae sic casta manes, ut iam convivia visas, Atque fututorum sit tua plena domus.*

P. 148. *Per somnum.* Recte Acro: „per somnum.“ Elegantissime Livius XXXIII. 32. *Vix satis credere se quisque audivisse; alii alios interrogare mirabundi, velut somnii vanam speciem quod ad quemque pertineret suarum aurium fidei minimum credentes, proximos interrogabant.*

P. 148. *Si paullum potes, illacrimare; est* — Meinekius ex coniectura Lachmanni edidit: *illacrima; e re est Gaudia prodentem vultum celare.* Mihi illud *e re est* hic non satis significare videtur. Nam *gaudia celare* non tantum *e re est*, utile est, sed prorsus necessarium, nisi omnem spem aliorum capiendorum abiicere vellet.

P. 149. *Velare vultum.* Cato in Diris 135. *Non aurora novos etiam ploravit amores, Atque rubens oculos roseo velavit amictu.* Sic recte emendavit Broukhusius laudante Burm. Anthol. T. II. p. 300. Conf. Heins. ad Ovid. Heroid. XI. 67.

II. SATIRA VI.

P. 149 sq. *Auctius atque Di melius.* Livius XXV. 16. *Quando res quoque Romana in dies melior atque auctior fieret.*

P. 150. *Ut illi, Thesauro invento.* Conieceram quoque: *ut olim Thesauro invento* sq. Ut olim dives amico Hercule, quem mercenarius agrum, illum ipsum, thesauro invento, mercatus aravit. Conferatur porro Calpurn. Ecl. IV. 117. *Iam neque damnatos metuit iactare ligones Pastor, et invento, si fors dedit, utitur auro.*

P. 151. *Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster Auctumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.* Gruppius binos versus delet.

P. 152. Incipiendarum rerum auctor Ianus. Eadem, quam volebam, sententia, iam est in verbis Commentatoris. Et sic iam alii, et Doderlinus.

P. 155. *Perditur haec inter.* Legi quoque poterat: *Praeterit haec inter* vel *Haec inter periit.* Error ortus ex male transposito *Periit haec inter*, quod, qui metrum laedi videbat, mutavit in *perditur.*

P. 157. *Lepos.* Huiusmodi nomina sunt *Amor, Favor, Spes, Eros.* Vide Burm. Anthol. T. II. p. 190.

P. 159. *Cervius.* Miror hoc nomen tribui homini honesto et convivae Horatii, idemque tribui accusatori et calumniatori in II. Satir. II. 47.

P. 159. *Semesaque lardi Frusta dedit.* Multo suavius esset: *furta dedit.* Huiusmodi vocabula, magis propria hominibus, magnum decorem fabulae conciliant. Et mus erat rusticus, vivens in dorso nemorum, ubi habebat *cavum.* Quae in agris crescunt, unde mures isti sua quaerunt et condunt, ea non adeo *furta* esse ducuntur; sed quae ex villis rapiunt, acina arida et lardum, haec *furta* censentur, et festive sic appellantur.

P. 160. *Terrestria quando Mortales animas vivunt sortita.* Illud *quando* nec cum iis, quae antecedunt nec quae sequuntur, satis cohaeret. Melius: *Carpe viam, mihi carpe comes. Terrestria fato Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est Aut magno aut parvo leti fuga: Quo bone circa* sq. Omnibus moriendum est, quocirca, dum licet, vivamus. *Fato sortita*, ita fato placuit.

P. 161. *Agit laetum convivam.* Nota formula *agit convivam.* Restituenda videtur Livio XLIV. 15. *Rhodios nuntio in orbe terrarum arbitria belli pacisque agere: Deorum nutu arma sumturos posituros Romanos esse. Iam non Deos foederum testes, sed Rhodios habituros.* Legendum: *Rhodios nun-*

tio in orbe terrarum arbitros belli pacisque agere, quorum nutu arma sumturos posituroque Romanos esse. Multo invidiosius est *agere arbitros*, quam *arbitria*. Quo invidiosius, hoc magis huic orationi convenit.

II. SATIRA VII.

P. 164. *Clavum ut mutaret in horas.* Acro: „Quasi sui propositi gubernator. *Clavum* autem aut vitae aut purpurae." Iam olim igitur dubitatum. Mihi *clavus vitae* placet. Gubernator in portum tendit. Eo clavum, et per clavum, cursum dirigit. Tenet clavum et cursum rectum, non mutat, sibi in regendo constat. Ennius ed. Merulae p. 401. *Ut clavum rectum teneam navimque gubernem.* Quintil. Instit. Orat. II. 17. *Nam et gubernator vult salva nave in portum pervenire. Si tamen tempestate fuerit abreptus, non ideo minus fuit gubernator, dicitque notum illud: „dum clavum rectum teneam." Ut clavum rectum*, ita, credo, usitarunt *navim rectam*, quod iam attigimus ad p. 124. Notum est proverbium *nunquam, Neptune, hanc navim nisi rectam*, ὀρθὰν τὰν ναῦν, de quo Gesnerus ad l. l. Quintiliani, quod iam in Scaligeranis explicatum erat: „Quaecunque tempestas veniat, Neptune, si evertas navim, sedens ad gubernaculum semper rectum everte." Vir magnus non ita scripsit. Sunt, ut multa in huiusmodi libris, negligenter edita. Ex hoc proverbio interpretor Plauti Epidic. I. 1. 69. *Haeccine ubi scibit senex? puppis Pereunda est probe.* Mihi pereundum est. Sed peribo probe, καλῶς, Neptunus hanc puppim non nisi rectam evertet. Gravis servi oratio, nec pro servo, atque ideo ridicula. Polybius V. 38. de Cleomene, qui εὐθανατῆσαι σπουδάζων, καὶ μηδὲν ἀνάξιον ὑπομεῖναι τῆς περὶ αὐτὸν προγεγενημένης τόλμης, simul cogitabat illa Homeri: Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Non multum hinc abit dictum Vespasiani apud Sueton. 24. *Imperatorem stantem mori oportet.* Seneca Epist. 37. *Recto tibi invictoque moriendum est.*

P. 164. *Tanto levius miser ac prior ille.* Non laudo illud *levius miser*, quia agitur de hominibus altero in vitiis constanti, altero *levi*. Opposita sunt *constans* et *levis*, et *constantior* praecedit. Horatius dixisset melius de eodem homine: *quanto constantior isdem In vitiis, tanto minus et miser*, vel, *tam nobilius miser*. Priscus est miser, Volanerius est miser. Uterque peccat. Sed qui sibi in peccatis constat, nobilius et fortius facit, minus adeo miser est, sibi quidem et aliis videtur, quam qui natat. Animus et virtus quaedam in ista constantia cernitur. Et non sentit se esse miserum. Gloriatur magis, quasi qui audeat. Nobilius miser est, generosius perit, quam alter ille levis. Davus acerbe iocatur.

P. 165. *Usque recuses.* Conieci *ire recuses*. Propius ad *usque* accedit *isse recuses*. Usus perfecti vel ex Horatio notus.

P. 165. *Si nusquam es forte vocatus.* Rectum quoque esset: *si nemo forte vocavit.*

P. 166. *Magno blateras clamore furisque.* Non *fugisque*. Confirmat Iuvenal. Satir. XIV. 62. *Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter, Vox domini furit instantis virgamque tenentis.*

P. 167. *Illa tamen se Non habitu mutatve loco peccatve superne.* Withofius Dissert. II. de Distich. Catonis repetita in edit. Arntz. legit: *peccatve sequens te* i. e. non, ut tu, ex impotenti libidine mutat habitum vel locum, similiter in aedes alienas irrepens, nec peccat, ut tu, vagans et passim se-

quens, in omnes scilicet domos, convivia, porticus, templa ipsa. *Sequi* illustrat ex Carm. II. v. *Iam te sequetur* et IV. 1. *Iam volucrem sequor.* Ego nunc legendum coniicio: *Non habitu mutatve loco, peccatque pudenter.* Qui proiicit insignia, anulum equestrem, fit servus, et alia facit hero indigna, peccat ita, ut nullius eum rei pudeat. Omnem pudorem abiecit. Mulier, quamvis peccet, aliquem tamen pudorem servat, non mutat habitum, manet domi, sollicitatur non sollicitat, peccat adeo, cum moecho quidem comparata, *pudenter.* Peccat, sed videas illam pudere; peccat verecundius. Gellius N. A. XII. XI. verba philosophi Peregrini refert: *Si sciant homines nihil omnium rerum diutius posse celari, repressius pudentiusque peccabitur.* Ex *pudenter* literis male transpositis tandem nasci potuit *superne.* In Cod. Sax. erat *peccatque.*

P. 167. *Quum te formidet mulier.* De muliere, quae praecedit, dici non potest, vel propter *peccatum herile*, cuius conscia est serva. Sed iam alii ante me locum distinxerunt, ut distingui volebam.

P. 168. *Dominoque furenti Committes rem omnem et vitam et cum corpore famam.* Melior ordo: *Committes rem omnem et famam, et cum corpore vitam.* Es plane in potestate domini. Hic tibi eripere potest omnem rem, famam, corpus et vitam. *Res* et *fama* iunguntur in re tali, de qua annotavi ad p. 20. *Fama malum gravius quam res tulit.* In vulgatis non est climax. *Corpus* quid hic significet, notum est.

P. 169. *Externi ne quid valeat per leve morari.* Hunc versum melius sequeretur vs. 84. *Quem neque pauperies neque mors neque vincula terrent.*

P. 169. *Urget enim dominus mentem non lenis.* Vocem *dominus* illustravit Heins. ad Ovid. Rem. 73. ubi ait: „Vide divinam Horatii Satiram, apud quem frugi ille Davus super tota hac re egregie philosophatur.“ Nihil ad laudem Horatii maius dici posse arbitror. Nescio an sospitator ille poëtarum unquam sensum sic declaraverit.

P. 170. *Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus.* Coniicio: *Illuduntque pedes, vitiosum et ferre recusant Corpus.* Illudunt tibi, te fallunt recusantes ferre corpus ita vitiatum.

P. 171. *Unde mihi lapidem?* Iuvenal. Satir. XIV. 56. *Unde tibi frontem libertatemque parentis?*

II. SATIRA VIII.

P. 171. *Mihi dictus.* Liv. XXIV. 4. *In Sicilia Romanis omnia mutaverat mors Hieronis.*

P. 172. *Acria circum Rapula, lactucae, radices, qualia lassum Pervellunt stomachum, siser, halec, faecula Coa.* Rapularum, lactucarum, radicum vis satis expressa videtur per *acria:* quae sequuntur *siser, halec, faecula Coa* vim habent maiorem, quae adeo magis proprie dicuntur *stomachum pervellere.* Fortasse legendum: *Acria circum Rapula, radices, lactucae, et, qualia lassum Pervellunt stomachum, siser, halec, faecula Coa.*

P. 172. *Nam caetera turba.* Minoris ingenii, gulae non tam doctae. Ovid. Fast. III. 628. *Incipit Aeneas. Caetera turba silet.* Frequentatur *turba* dignioribus opposita.

P. 173. Ad artem istam cocorum facit illud, quod apud Livium narrat Flamininus XXXV. 49. *Est autem res simillima coenae Chalcidensis hospitis mei, hominis et boni et sciti convivatoris. Apud quem solstitiali tempore comiter accepti quum miraremur, unde illi eo tempore anni tam multa et va-*

ria venatio, homo non, quam isti sunt, gloriosus, renidens condimentis ait varietatem illam et speciem ferinae carnis ex mansueto sue factam. Plutarchus in Vita Flaminini. 17. *Δειπνοῦντος αὐτοῦ παρὰ τῷ ξένῳ, καὶ μεμφομένου τὸ πλῆθος τῶν κρεῶν, καὶ θαυμάζοντος, πόθεν οὕτω ποικίλης ἀγορᾶς εὐπόρησεν, εἰπεῖν τὸν ξένον, ὡς ὕεια πάντα ἐστὶ, τῇ σκευασίᾳ διαφέροντα καὶ τοῖς ἡδύσμασι.*

P. 175. *Nomentanus amicum Tolleret.* Porphyrio: „*Tolleret*, peritu tolleret." et „*Tolleret*, perire tollor." Paulyus signis lacunam significavit. Porphyrio fortasse scripsit: „*Tolleret*, erigeret, solaretur."

P. 176. Contra sunt loci, in quibus infinitivus videtur esse mutandus in indicativum. Livius XLV. 38. *Satis peccatum in Camillo a maioribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a Gallis urbem violarunt. Satis insuper a vobis in P. Africano; Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae, Literni sepulcrum ostendi. Erubescamus, gloria si par illis viris L. Paullus iniuria vestra exaequetur.* Gronovius legit: *satis insuper nos in P. Africano, Literni domicilium et sedem fuisse domitoris Africae, Literni sepulcrum ostendi, erubescimus. Gloriane par illis viris L. Paullus iniuria etiam vestra exaequabitur?* Fortasse simplicius erat: *Satis insuper a vobis in P. Africano. Liternum domicilium et sedem fuisse domitoris Africae, Literni sepulcrum ostendit.* Gravissime et invidiose *sepulcrum ostendit:* non modo, quia ibi sepultus est, sed etiam sepulcro fuit inscriptum, quod narrat Valer. Maxim. V. 3. *Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.* Utrum hoc ita fuerit inscriptum, an aliud, nil refert. Scipio certe in patria sepeliri noluit. Liv. XXXVIII. 53. *Vitam Literni egit, sine desiderio urbis. Morientem rure, eo ipso loco sepeliri se iussisse ferunt, monumentumque ibi aedificari, ne funus sibi in ingrata patria fieret.*

INDEX SCRIPTORUM

QUI IN ANNOTATIONE TRACTANTUR.

A.

Anthologia BURMANNI...p. 87 et 102.
ACRO .....3, 18, 86, 92, 101, 134, 145, 179, 181, 190.
Acta Apostolorum.....86.

C.

CALPURNIUS. Ecl. IV, 148.....180.
CLAUDIANUS in Eutrop. I, 204...117.
CORNELIUS NEPOS in Att. 7.....180.
in Them. 7....188.
Commentator Cruquianus.....30, 35, 40, 89, 144, 148, 166.

F.

FRONTO.....28, 77, 151, 176.
FURIUS BIBACULUS.....143 sq.

G.

GELLIUS N. A. IV, 5.....94.
XVIII, 11.....143 sq.

H.

HORATIUS Epist. I, 16, 55.....120.
II, 2, 47.....135.

L.

LIVIUS. XXI, 2.....180.
XXII, 15.....180.
XXII, 50.....185.
XXIV, 18.....186.
LIVIUS. XXXIII, 45.....p. 184
XXXIII, 48.....189.
XXXIX, 14.....187.
XLII, 56.....189.
XLII, 61.....192.
XLII, 62.....179.
XLIV, 15.....193.
XLV, 10.....185.
XLV, 19.....178.
XLV, 38.....196.
LUCANUS III, 36 sq.....25.
LUSCIUS. Prologus Phasmatis..158 sq.
" Thesauri...157 sq.

M.

MAXIMUS TYRIUS.....5 sq.
MINUCIUS FELIX in Oct. c. 27.....89.

O.

OVIDIUS. Metam. I, 187.....126.
" VI, 316.....159.

P.

PETRONIUS. Sat. 64.....133.
PHAEDRUS. Fab. IV, 1, 19.....176.
PLAUTUS, Aulul. III, 5, 43 et 52...96.
Bacch. II, 1, 1.....175.
Casin. I, 1, 38.....162.
" II, 8, 10.....96.
" IV, 3, 4.....127.
Epid. I, 1, 69.....194.
" I, 2, 44.....154.

PLAUTUS, Epid. III, 2, 4.....p. 154.
Merc. I, 1, 40.....2.
Men. V, 9, 97.....146.
Mil.gl. III, 1, 70.....125.
" III, 1, 111.....142.
Most. I, 3, 48.....118.
" III, 2, 165.....125.
Rud. IV, 7, 19.....154.
Stich. V, 2, 1.....175.
PORPHYRIO.....13, 83, 94, 104, 130, 192, 196.
PROPERTIUS Eleg. II, 8, 8.....153.
III, 3, 1.....153.
III, 4, 28.....184.
III, 6, 21.....138.

S.

SALUSTIUS Iug. 85.....92.
SENECA de Benef. 12.....131.
SERVIUS ad Aen. VI, 612.....20.
" VII, 537.....121.
" XI, 601.....83.
STATIUS Silv. II, 1, 171.....161.
STATIUS Theb. III, 628.....p. 138.
SUETONIUS in Ner. 38.....120.
in Caes. 59.....19.

T.

TERENTIUS Ad. II, 3, 9.....79.
Heaut. IV, 1, 32.....2.

V.

VALERIUS FLACCUS VIII, 164....114.
VELLEIUS PATERCULUS I, 11....187.
II, 10....103.
II, 49.....73.
II, 57...91 et 101.
II, 74....155.
II, 87....138.
II, 91.....57.
II, 92....121.
II, 103.....8.
II, 105....85.
VIRGILIUS Aen. I, 613.....158.
Ecl. IX, 17.....176.
Georg. III, 218.....175.

INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A.

Accius comicus 82.
Acer non dicitur *marcens stomachus* 138.
Adbaris 182.
Adde — addi 175.
Adiectivum a suo subst. ad aliud traiectum 174.
Adspergere quavis aqua 44.
Adverso litore — sidere 124
Aetas piscium 137.
Agere arbitrum 193.
Albius susp. 41.
Alere servos et *habere servos* 29.
Aliatus — allatus 139.
Alienis malis ridere 144.
Aluta nigra de calceis senatorum 182.
Ambustus in iudicio 184.
Amica mater 112.
Anni certi — teneri 60.
Anus divina 73.
Aqua — agna 125.
Arbusto — ambustus 66.
Arx non est villa Horatii 151.
Atque — atqui 80.
Atque — adde 131.
Atque post comparativum 35.
Attractio pron. relativi 156.
Audire totidem — idem 130.
Aut semel an bis ponendum 3.
Avarus cupidine laudis 8.
Averrere — avellere 136.
Avidos — vides — vide 48.

B.

Balba — blanda 128.
Bithus — Bithys 183

C.

Cadmus carnifex 57.
Candere male de cocco 160.
Cantari in urbe 94.
Carmen de obitu Maecen. ineptum 55.
Catieni spectatores 113.
Caudam trahere 189.
Caupo responsi app. ICtus 6.
Cavere testamento 115.
Cedere — incedere 96.
Celare — velare 149, 193.
Celer medicus 119 et 189.
Cerinthe — Cerintha 22.
Ciconiae eduntur 102.
Cinerarius 23.
Ciniflo voc. recens 23.
Cippus 68.
Circumtonuit — circumsonuit 126.
Circumvolat mors 95.
Clavum mutare 194.
Clypei orbis 51.
Cocorum ars 173.
Coena et *dapes* 156.
Coeperunt — sicut erat 69.
Coërcere 190.
Cognata vocabula rebus 129.
Colubrae variae et *Marsae* 70.
Comites dicuntur libri 110, 188.

Compensare rem cum re et *re* 34.
Condere locum 52.
Contento poplite mirari 169.
Contingere — consumere 117.
Continuare — concinnare dapes 160.
Cornua fluminum 186.
Cortex figurate 32.
Crispinus minimo — Crispini minimus 40.
Culpa magistra susp. 107, 188.
Cupidine falso susp. 8.
Currere et *incedere* 28.
Cuspis fracta et *fragilis* 88.

D.

Damnose — damnosi 174.
Dativi usus exquisitus 21.
Datum — autem 100.
Dedecus de ebrio 42.
Deducere classem et *reducere* 123.
Defingit — defringit 186.
Delatus et *dilatus* 85.
Describere rest. pro *et scribere* 89.
Dico — dicit 19.
Dico tibi 163.
Dictus mihi conviva 171.
Dis facile est 129.
Distinctio mutatur 17, 33, 89, 163, 166, 167, 182.
Documentum plurali subiungitur 46.
Donare magnum 146.
Donat — donans 20.
Dormire Ilionam, non *edormire* 113.
Dubia coena 104.
Ducere currus 61.
Dulcissime rerum 71.

E.

Educere — et ducere 110.
Enim initio sententiae 170.
Ennius tragicus 83.
Erraremus — erraretur 31.
Ervum 162.
Esquiliae atrae — altae 152.
Esse paucorum hominum 185.
Et omissum 126 male additum 7, 178.
Et — at 123.
Et quoque 163.
Euander rex an artifex 36.
Eum — enim 35.
Ex animo promittere 45.
Exhortatus — est hortatus 77.
Expugnare metaphorice 145.
Ex re 159.

F.

Fabula inducit aliquem susp. 16.
Facta et *fata regum* 82.
Falsum ridere 75.
Fatum Sabellae 73.
Felix morte 73.
Felix frons 158.
Fere susp. 180.
Ferire verba 128.
Ficus — nisus 71.
Finire laborem susp. 10.
Fortis maritus 125.
Frangere grana 117.
Frigore ferire 95.
Frusta — furta 193.
Fugit — fuit 55.
Fuit illi seq. sententia relativa 28.
Funera magna 57, 183.
Furii carmen de bello Gallico 80.
Furis an *fugis* 166, 194.

G.

Garrire libellos vitiosum 81.
Gerere non pro *rem gerere* 92.
Gladii pro *bello* 178.
Gnatia — Egnatia 53.
Gravis annis et *armis* 2. *gr. annos* 3.
Gravitas virtus tragoediae 84.

H.

Hoc — hic 67.
Hoc stabat sepulcrum susp. 67 sq.
Hodie non abundat 164.
Homerus ex memoria laudatur 183.
Hortari loris 77.
Hyperbata 141.

I.

Iam — tam 141.
Iam omissum 95.
Ictus — unctus 91.
Illa — ulla 1.
Illic — illuc 171.

Illusi pedes susp. 170, 195.
Immorsus — admorsus 138.
Imperitare legionibus 54.
Impransus 99.
In armis — et armis 132.
Incorruptissimus — incorrupto optimus 59.
In cultu 32.
Indormire et *inhiare* male iung. 9.
Iners caro 136.
Infans statua 143, 192.
Infinitivus indignantis 175.
Ingens — praesens 121, 190.
Ingratus — iratus 15.
In magno populo susp. 59.
Inquam = nempe 129.
Inquam — tanquam 173.
Insanire in libertinas 20.
Insanis — in vanis 98.
Inter repetitum 63.
Inveniri 139.
Ipsa — ista 90.
Iracundior — infacundior 32.
Ita — ut 176.
Iterum legere 86.
Iubere non dic. pro *concedere* 60.
Iubere et *ludere* 186.
Iudaeus Apella enarrator 53.
Iulius et *Pediacia* unus homo 70.
Iungere aliquem 180.
Iuppiter — turpiter 4.
Ius et *mos* 63.

L.

Laberius. Horatii iudicium de eo 77.
Labor malus 21.
Laborare ab avaritia susp. 41.
Laetius — lentius 156.
Latine causas exsudare 79.
Latrare sibi 26.
Latus — altus 122.
Legiones et *regiones* 54.
Lenta bracchia 75.
Lepos nom. propr. 193.
Levius miser susp. 194.
Libellos — labello 81.
Limatius — lymphatius 134.
Lucana — tu cana 127.
Luna latet post sepulcra susp. 70.
Lymphis — Nymphis 53.

M.

Magis — avis 100.
Male vivere 46.
Malthinus 17.
Malum susp. 134.
Manifestus coelebs 144.
Media vocabula 104.
Meis — meo 61.
Melior absolute dic. 92.
Memnon, Manno, Menno 81.
Memoratur — mercator 9.
Mens male tuta 118.
Mensa piscatoria 136.
Meus et *noster* 153.
Mihi crede 160.
Milibus — nobilibus 62.
Mille et plures 48.
Milvius 166.
Mire — ire 188.
Mirum — nimirum 95.
Modo Marii 128.
Modus agri 149.
Moecha res 18, 179.
Monumentum et *sepulcrum* 68.
Multa et *multum scribere* 39.
Mutare versus 84.

N.

Nam — iam 56.
Natura et ars 137.
Navim non nisi rectam 194.
Naufragium metaphorice 188.
Ne quando producitur 26.
Nepos — nefas 42.
Nihil est 117.
Nitere de corpore 109.
Nolle absolute 61.
Non visa — commissa 44.
Noster non est Horatio Maecenas 153.
Numerorum conformatio Horatiana 5.
Nusquam debetur librariis 165.

O.

Octavius quis in Sat. X. 87.
Ohe iam 148.
Omnes in acclamatione 19.
Omnis res — omnia spes 189.
Os parva loquentis 181.
Ossa et *ossa sepulta legere* 184.

P.

Palpari equo 90.
Par Rupili et Persi non Latinum 65.
Paras — putas 111.
Parcere (*non sibi*) 41.
Parodiae exempla 83.
Partum — paritur 187.
Parvus et *parva* de poetis 181.
Patris — patrum 79.
Paulla et *Polla* 108, 188.
Pauper argenti et *in argento* 119.
Pavere — peccare 168.
Peior — peius 177.
Perditur soloecrum 155, 193.
Persequi et *prosequi* 72.
Persius otiose add. 66.
Per te avos 66.
Pervincam — prope vincam 76.
Pictura parietum 169.
Planus 39.
Plato comicus 110.
Pluris mihi eris 72.
Ponere aliquid *recte* 170.
Porrectus — proiectus 116.
Porrigere iugulum 36.
Positio debilis non producit vocalem praeced. vocis 123.
Positum — potius 94.
Praebere absolute et *pr. aquam* 44.
Praedia — praemia 155.
Praelambere 161.
Praevertere et *praeverti* 31.
Prava — prave 168.
Pravum peius *vitio* 103, 188.
Primo adspectu 158.
Proiicere hastam cet. 116.
Pronomen demonstr. substantivis varie add. 1.
Pronuntiatio indicat notionem verbi 189.
Prudens — imprudens 168.
Prunae batillus susp. 182.
Pulchre est 172.
Puta 192.

Q.

Quae et *qua* 150.
Quamvis et *quam vis* 99.
Quanto — quando 108.
Quantum, ubi non praecedit *tantum* 69.
Quid boni? 98.
Quid simile 115.
Quidam de homine noto 11.
Quine interrog. 78.
Quorsum — cursum 191.
Quum — quem 91.

R.

Rapere in iura 114.
Raro — ergo 109.
Recte eunt et *erunt res* 106.
Rectum animi vitiosum 191.
Repetitio eiusdem verbi 89.
Reprendere — deprendere 58.
Res ipsa fert 89.
Respicere — reiicere 131.
Respondere et *responsare* 134.
Rheni luteum caput 80.
Rictus 66.
Ruere et *struere divitias* 143.
Rupilius 183.

S.

Sabbata tricesima 75.
Sacci nummorum 120.
Salsus — falsum 75.
Salaputio 19.
Salax 19.
Sana mens 185.
Sane — plane 119.
Satira III et VII possent coniungi 162.
Satis — suis 156.
Satur vitae 14.
Sceleratus 189.
Scholarum in urbe conditio 59.
Se — si 93.
Securis non *fertur* aliquo 65, 184.
Securum olus 165.
Sententia Catonis non dic. pro Catone 17.
Servari in iudicium 86.
Si omissum 166.
Si quis Deus et *Iupiter* male congruunt 3 sq.
Sic varie pon. 26.
Sicut erat 69.
Simul omisso *cum* 38.
Socerum — Eridanum 13.
Somnus et *somnium* 148, 193.

Spectacula in appositione 99.
Sperare pro *putare* 189.
Studio et *studium facere* 43.
Stultitia et — stultities 112.
Stupere in re 41, 98.
Subsellia de iis, qui sedent in subselliis 97.
Substringere aurem alicui 147.
Superducere 158.
Superne peccare 167, 194.

T.

Tabulae ambigue dic. 97.
Tam sequente *quantum* 132.
Tanais, nomen fluminis non viri 13.
Tantalus, avarus 9.
Tanti esse et *tantus* 8.
Tenere se suis 133.
Ter quater 109.
Tetra — irata 18.
Thrax et *Threx* 153.
Timere et *odisse* 91.
Totis nidis sim. 102, 187.
Tradere carnifici 57.
Transpositio versuum commendatur 10, 15, 22, 29 sq., 39, 52, 137, 151, 190.
Trutinae propria verba metaphorice 34.
Tu et *ego* opp. 127.
Tuli tu — tulisti 142.
Tulli regnum 54.
Tumultus capitis 124.
Turba caetera 195.
Tuto nido — totis nidis 102, 187.
Tyndaridae et *Tyndarides* 11.
Tyndaris est Clytemnestra 12.

U.

Ultima mors 64, 183.
Ultro et *ultra* 147.
Ummidius et *Numidius* 11.
Urgere et *perurgere* 152.
Undeoctoginta susp. 117.
Uno — unum 146.
Urget — urges 152.
Usque vitiosum 165, 194.
Ut male add. 49.
Ut omitt. 122.
Ut in populo 59.
Utpote — ut puta 181.
Ut vir bonus es 176.
Ut vivas 120.

V.

Vena 18.
Venerari ut 108.
Venire alicui 146.
Verbum impersonale male mutatum 31, 74.
Verniliter 161.
Versare cum dat. 115.
Versus aliis suspecti defenduntur 52, 76 sq., 90, 100, 190.
Versus spurii notantur 14, 16, 23 sqq, 64, 77, 99 (Add. 186), 101, 190, 191.
Vespertinus pro *vesperi* 62.
Veto seq. coniunctivo 13.
Vidisse — cavisse 115.
Vincam et *hoc vincam* 27.
Vita pro more 32.
Vitatu — vitandum 47.
Vitiatum — vitaret 105.
Vivo aliquem 12.
Vivo me 120.
Vocabula a librariis transposita 5, 14, 19, 55, 135.
Vocativus pro nominativo 122.

CORRIGENDA.

Pag.	7	b. v.	penult. *quem*.....scr.	*quam.*
"	8	b. v.	3....:.*inre*....."	*in re.*
"	16	a. v.	18.....241....."	421.
"	21	b. v.	3.....*iucund i*....."	*iucundi* -
"	40	a. v.	32.....95....."	45.
"	54	Sat. VI	v. 4..*regionibus*....."	*ligionibus.*
"	56	b. v.	ult.....*radittur*....."	*traditur.*
"	65	b. v.	17.....*praecessistet*....."	*praecessisset.*
"	138	b. v.	26.....III......"	II.

Pauca quaedam etiam his leviora omitto.



THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER
JUL - 8 1984
2938066

Lh 8.755
Q. Horatii Flacci Satirae /
Widener Library
005323395
3 2044 085 201 218